

Sancta Birgitta

Reuelacionum liber secundus

Informacio Filii ad sponsam contra dyabolum et responsio Filii ad sponsam, quare non subtrahit malos, antequam veniant in peccatum, et qualiter baptizatis morientibus infra annos discrecionis datur regnum celorum. Capitulum I.

1 Filius loquebatur ad sponsam dicens: "Quando dyabolus temptat te, dic ei ista tria: 'Verba Dei non possunt esse nisi vera.' Secundo: 'Deo nichil est impossibile, quia omnia potest.' Tercio, quod 'eciam tu, dyabole, non poteris dare michi talem feruorem caritatis, qualem dat michi Deus.'" **2** Item ait Dominus ad sponsam dicens: "Ego video hominem tripliciter: Primo corpus extra, qualiter dispositum est. Secundo conscienciam intus, ad quid tendit et qualiter. Tercio cor eius, quid desiderat. **3** Sicut enim aus, que videns pisces in mari considerat profunditatem, attendit et procellas, sic ego vias omnium scio et considero et, quid unicuique debetur, attendo, quia perspicacioris visus et consideracionis sum ad sciendum, que sunt circa hominem, quam ipse sit ad cognoscendum se. **4** Ergo, quia sic omnia video et scio, potes querere, quare non subtraho malos, antequam venerint in profundum peccati. Ad quod ego personaliter, qui querebam, respondeo tibi: **5** Ego sum creator omnium, et omnia sunt in presciencia mea, et que facta et que futura sunt, omnia scio et video. Sed licet omnia possum et scio, ex iusticia tamen non facio magis contra naturalem dispositionem corporis quam contra dispositionem anime. Omnis quippe homo secundum naturalem dispositionem corporis, que est in presciencia mea et erat ab eterno, subsistit. **6** Quod autem unus longioris vite erit et alter breuioris, hoc est secundum fortitudinem et infirmitatem nature et secundum quod corporalis disposicio habet se. **7** Quod autem unus cecus, alter claudus efficitur vel aliquid huiusmodi, hoc non est propter prescienciam meam, cum omnia ita prescio, quod nullus fiet ex ea deterior vel aliquibus obsit presciencia mea.

8 Nec fit ex elementorum cursu et stacione sed ex occulta iusticia, in dispositione et in conseruacione nature. Peccatum enim et indisposicio nature multipliciter adducunt deformitatem membrorum. **9** Nec ideo fit, quia volo, sed quia ex iusticia permitto fieri. Quamuis enim omnia possim, iusticie tamen non resisto. Ergo, quod aliquis minus vel plus viuit, hoc est secundum nature infirme vel fortis dispositionem, que in presciencia mea est, contra quam venire nullus potest. **10** Similiter per similitudinem intelligere potes, dato quod essent due vie et ad eas una sola via duceret, in illis autem viis essent innumerabiles fosse, una contra aliam et super aliam; finis vero unius illarum duarum viarum directa tendebat in infimum et finis alterius tendebat sursum. **11** In competitis vero viarum sic erat scriptum: 'Quicumque vadit per istam viam, incipit eam cum delectacione et voluptate carnis et terminat eam in magna miseria et confusione. Qui autem vadit per istam aliam viam, incipit eam cum modico et tolerabili labore et terminatur cum maximo gaudio et consolacione.' **12** Ille vero, qui incedebat primo per illam unam viam, cecus ex toto erat. Sed cum venisset ad competas viarum, aperiebantur oculi eius et videbat scripturam illam, in qua continebatur finis illarum duarum viarum.

13 Quam quidem scripturam cum ille attenderet et secum deliberaret, apparuerunt statim duo viri iuxta eum, ad quorum custodiam pertinebant ille due vie. Qui considerantes viatorem in competitis, loquentes

inter se dixerunt: **14** 'Consideremus diligenter, per quam viam magis incedere voluerit, et eius, cuius viam magis elegerit, proprius erit.' **15** Viator autem considerans secum fines viarum et merita, prudenti usus consilio eligebat magis viam, cuius principium erat modici doloris et finis gaudium, quam illam, que in gaudio incipiebat et terminabatur in dolore. **16** Tolerabilius enim credebat et sanius fore modico fatigari labore in principio et in fine quiescere secure.

17 Numquid scis tu, quid ista significant? Ego certe dicam tibi. Due iste vie sunt bonum et malum, quod ante hominem est. Quod magis eligere velit, in potestate sua et libero arbitrio suo constitutum est, cum venerit ad annos discretionis. **18** Ad has duas vias, scilicet elecciónis boni et mali, una via dicit, scilicet etas adolescencie ducens ad annos discretionis. Qui hanc viam primam ambulat, quasi cecus est, quia ab adolescencia, usquequo homo venerit ad annos discretionis, quasi cecus est, nesciens discernere inter bonum et malum, inter peccatum et virtutem, inter mandata et prohibita. **19** Ergo homo ambulans in una sola via, scilicet in etate puerili, similis ceco est. Cum autem venerit ad competita viarum, idest ad annos discretionis, tunc aperiuntur ei oculi intelligencie. Nam tunc scit considerare, quid sit melius, modicum habere dolorem et eternum gaudium quam modicum gaudium et eternum dolorem. **20** Et tunc, quamcumque viam elegerit, non deerunt illi, qui gressus eius diligenter numerabunt. **21** In istis autem viis multe sunt fosse, una contra aliam et una ante aliam, quia et in etate iuuentutis et in etate senectutis unus moritur cicius, alter tardius, unus in iuuentute, alter in senectute. Ergo finis huius vite bene in fossis significari potest, quem habebunt omnes, unus sic, aliud vero sic, prout naturalis disposicio exigit et prout in presciencia mea est.

22 Si enim aliquem contra naturalem dispositionem corporis subtraherem, statim contra me occasionem haberet dyabolus. Et ideo, ne dyabolus in minimo inueniat in me aliquid contra iusticiam, ideo non magis facio contra naturalem dispositionem corporis quam anime. **23** Attamen considera bonitatem et misericordiam meam! Ego enim, sicut dicit magister, facio illis virtutem, qui non habent virtutem. Ego ex multa caritate omnibus illis, qui baptizati sunt et infra annos discretionis moriuntur, do regnum celorum, sicut scribitur: Complacuit Patri meo talibus dare regnum celorum. **24** Adhuc eciam ex pietate mea facio cum infantibus paganorum misericordiam. Nam quicumque eorum infra annos discretionis moriuntur, quia ad cognitionem faciei mee venire non possunt, venient in locum quendam tibi non licitum scire, ubi sine cruciato morabuntur. **25** Qui autem ab una via progressi veniunt ad illas duas, idest ad annos discretionis boni et mali, tunc in eorum potestate est eligere, quod magis eis placuerit, et secundum quod tunc flectunt voluntatem suam, talis eorum sequitur remuneracio, quia tunc sciebant legere scripturam scriptam in competitis viarum, scilicet quod melius esset modicum habere dolorem in principio et in procinctu gaudium quam in principio gaudium et in fine dolorem. **26** Verumptamen contigit quandoque, quod ante naturalem dispositionem corporis aliqui subtrahuntur, utputa propter homicidium, ebrietatem et aliquid huiusmodi, quia dyaboli malicia tanta est, quod nimis longam peccator ille haberet penam, si diuinus perseveraret in mundo. **27** Et ideo exigente iusticia et peccatis aliqui ante dispositionem naturalem corporis subtrahuntur. Que quidem substraccio in presciencia mea ab euo fuit, contra quam aliquem venire impossibile est. **28** Sic eciam quandoque boni ante naturalem dispositionem corporis subtrahuntur, quia ex nimia caritate, quam ad eos habeo, et ipsi ex feroce dilectionis et ex labore refrenacionis corporis, quam habent ad me, sicut in presciencia mea ab euo fuerat, exigente iusticia quandoque subtrahuntur. **29** Ergo non magis facio contra naturalem dispositionem corporis quam anime."

Fili quimonia de quadam anima dampnanda presente sponsa et responsio Christi ad dyabolum, cur permisit istam animam et permittit malos suum verum corpus contingere et sumere vel recipere. Capitulum

II.

1 Videbatur Deus iratus et ait: "Opus manuum mearum hoc me plus contempsit, quod in honorem maiorem constitui. Ista anima, cui omnem curam adhibui caritatis mee, tria michi fecit: **2** Auertebat oculos suos a me et vertebat ad inimicum. Voluntatem suam firmauit ad mundum. Fiduciam sibi posuit, quod libere posset contra me peccare. **3** Propterea quia non curauit respicere me, ego feci ei iusticiam meam subitam. Quia vero firmauit velle suum contra me et fiduciam posuit sibi falsam, ego abstuli ei desiderium suum." **4** Tunc quidam dyabolus exclamauit dicens: "Iudex, hec anima mea est." Respondit iudex: "Quid cause habes contra eam?" Respondit ille: "Proposicio querimonie tue mea est accusacio, quod scilicet contempsit te, creatorem suum, propter quod facta est ancilla mea. **5** Et quia subito sublata est, quomodo subito poterat te placare? Nam et cum in mundo vixisset sano corpore, non tibi seruuit sincero corde, quia dilexit feruencius creaturam, non pacienter tulit egritudinem et quia non considerauit opera sua, ut debuit. **6** In fine vero non arsit caritatis igne. Et quia subito abstulisti eam, ideo mea est." **7** Respondit iudex: "Non dampnaret subitus finis, nisi discordarent opera. Nec voluntas sine diligenti deliberacione perpetuo dampnatur."

8 Tunc mater Dei veniens ait: "Fili, seruus negligens, qui habet amicum familiarissimum domino, numquid ille familiarissimus non astabit ei? Aut non debet propter eum, si pecierit, saluari?" **9** Respondit iudex: "Omnis iusticia debet esse cum misericordia et sapiencia; misericordia ad remittendum rigiditatem, sapiencia, ut tamen seruetur equitas. Sed si talis fuerit transgressio, que non est digna remitti, propter familiaritatem tamen salua iusticia poterit mitigari." **10** Tunc ait mater: "Benedicte fili mi, hec anima continue habuit me in memoria et exhibuit michi reuerenciam et pro me solemnitatem summam afficiebatur facere, quamvis frigidus erat ad te. Ideo miserere ei!" **11** Respondit iterum Filius: "Scis, mater benedicta, et vides omnia in me. Hec anima, quamvis te in memoria habuerit, plus tamen propter temporale bonum faciebat quam propter spirituale. Nam corpus meum mundissimum non sic tractabat, ut debuit. **12** Os namque fetidum prohibuit mee caritatis dilectionem. Amor mundi et dissolucio abscondit ei meam passionem. Presumpcio nimia venie et finis sui inconsideratio accelerauit vitam suam.

13 Et quamvis me sumpsit continue, non tamen ex hoc multum meliorabatur, quia non se preparauit, ut decuit. Qui enim colligere velit hospitem bonum et dominum, preparare debet non solum hospicium sed et omnia utensilia. **14** Sic non iste, qui, et si mundauit domum, tamen non scopauit eam reuerenter et diligenter. Nec paumentum strauit virtutum floribus nec utensilia membrorum suorum impleuit abstinenciis. **15** Ideo, quid ei faciendum sit, satis vides, et quid promeruerit. Quamvis enim incomprehensibilis sim et inuiolabilis et ubique sum per deitatem meam, tamen certe cum homine mundo est michi delectacio, licet et cum bono ingredior et cum dampnato. **16** Nam boni suscipiunt corpus meum hoc, quod crucifixum est et ascendit in celum, quod prefigurabatur in manna et in farina vidue. Similiter et mali, sed boni ad confortacionem maiorem, mali vero ad maiorem iudicii iusticiam, quia non timent indigni accedere ad tantam dignitatem."

17 Respondit dyabolus: "Si accessit ad te indigne et iudicium suum ex hoc augebatur, cur permisisti eum accedere ad te et contingere te tam dignum?" **18** Respondit iudex: "Non queris ex caritate, quam non habes, sed quia ex virtute mea compelleris propter istam sponsam meam, que hec audit. **19** Sicut enim in humanitate mea et boni et mali tetigerunt me ad ostendendam veram humanitatem et paciencie humilitatem, sic et boni et mali comedunt me in altari; boni ad maiorem perfeccionem, mali autem, ne

credant se esse dampnatos et eo, quod possunt ex hoc corpore meo sumpto, si volunt mutare voluntatem, conuersti. **20** Et quam caritatem maiorem possum ego ostendere quam quod mundissimus ingredior eciam ad immundissimum vas, quamuis sicut sol materialis a nullo possum inquinari? **21** Hanc enim caritatem tu et amici tui contempnitis, quia vos contra caritatem affirmastis.”

22 Tunc ait iterum mater: ”O bone fili, quociensemque accessit ad te, tamen timebat te, licet non ut debuit. Penituit eciam offendisse te, licet non perfecte. Hoc, fili mi, proficiat sibi propter me.” **23** Respondit iterum Filius: ”Ego sum, sicut dixit propheta, sol verus, sed tamen longe melior sole materiali. Sol materialis non penetrat montes nec mentes, sed ego possum utrumque. **24** Si ergo mons obsistit soli materiali, ut non tangat terre propinquitatem, quid michi obsistit nisi peccatum, ne hec anima afficeretur caritate mea? **25** Quod et si pars aliqua montis remoueretur, necesse tamen est, ut, quod vicinus est, a calore euacuetur. Ego autem si intrauero in partem unam mentis munde, que michi consolacio erit, si ex parte alia senciatur fetor? **26** Ideo depelli debet, quod sordidum est, et tunc post pulchritudinem subsequitur dulcedo.” **27** Respondit mater: ”Fiat voluntas tua cum omni misericordia!”

Declaracio.

28 Hic fuit sacerdos sepe ammonitus de incontinencia sua et nolens resipiscere. Cum quadam die exisset in pratum ad curandum equum suum, venerunt fulgura et tonitrua, quibus percussus est et mortuus omni corpore illeso preter verenda, que ex toto combusta apparuerunt. **29** Tunc dixit spiritus Dei: ”Filia, talia merentur illi in anima sicut iste in corpore, qui talibus miseriis et delectacionibus implicantur.”

Verba matris Dei admiracionis ad sponsam et qualiter in hoc mundo sunt quinque domus, quarum habitatores sunt quinque status hominum, scilicet infideles Christiani, Iudei indurati, pagani per se, Iudei simul et pagani, et amici Dei, et nota in isto capitulo multa utilia. Capitulum III.

1 Maria loquebatur: ”Magna res est, quod dominus omnium et rex glorie contemptus est. Ipse quasi peregrinus fuit in terra, vadens de loco in locum et quasi viator pulsans ostia multorum, ut suscipi mereretur. **2** Mundus enim quasi quidam fundus erat, in quo quasi quinque domus erant. Ad primam autem domum cum filius meus in habitu peregrini venisset, pulsans ad portam ait: **3** ’Amice, aperi michi et introduc me in requiem et cohabitacionem tuam, ne forte fere noceant michi, ne imber, ne pluie veniant super me! **4** Da michi de vestibus tuis, quibus frigidus calefiam, nudus cooperiar! Da michi de cibo tuo, quo esuriens reficiar, de potu tuo, quo siciens refocillari merear, et recipe mercedem a Deo tuo!’ **5** Tunc respondit, qui erat intus: ’Tu nimis es impaciens. Ideo non potes concordare et cohabitare nobiscum. Tu nimis longus es. Propterea non sufficimus vestire te. **6** Tu nimis cupidus es et gulosus. Ideo non sufficimus saciare te, quia cupiditas tua nullum habet fundum.’ **7** Respondit iterum Christus peregrinus, qui erat extra: ’Amice, induc me hylariter et voluntarie, quia in modico ego concludor loco! **8** Da michi de vestibus tuis, quia non est tam paruum vestimentum in domo tua, quin non ad calefaciendum me sufficiat! Da michi de cibo tuo, quia eciam mica saciare me potest, et stilla aque dabit michi refrigerium et fortitudinem!’ **9** Respondit iterum, qui erat intus: ’Nos bene cognoscimus te. Tu es humilis in verbis et importunus ad rogandum. Tu videris modestus ad contentandum, sed tamen insaciabilis es ad implendum, frigidissimus et difficillimus ad cooperiendum. Vade, quia non colligam te!’

10 Tunc venit ad secundam domum et ait: 'Amice, aperi et vide me! Ego enim dabo tibi, quibus indigueris. Ego defendam te ab inimicis tuis.' **11** Respondit, qui erat intus: 'Oculi mei debiles sunt. Noceret eis, si videro te. Ego habundo in omnibus et non indigo tuis. Ego potens et fortis sum. Quis michi nocere potest?'

12 Tunc veniens ad terciam domum ait: 'Amice, eleua aures tuas et audi me! Extende manus tuas et contracta me! Aperi os tuum et gusta me!' **13** Respondit habitator domus: 'Clama alcius, quia bene audiam te! Si lenis fueris, attraham te. Si dulcis fueris, recipiam te.'

14 Tunc iuit ad quartam domum, cuius porta quasi ad dimidium aperta erat, et ait: 'Amice, si considerares tempus tuum inutiliter expensum, colligeres me. **15** Si intelligeres et audires, que ego feci pro te, compatereris michi. Si attenderes, quantum offendisti me, ingemisceres et peteres veniam.' **16** Respondit ille: 'Nos sumus quasi mortui in expectacione et desiderio tui. Compatere ergo miserie nostre, et libentissime damus nos tibi. **17** Respice miseriam nostram et considera corporis nostri angustiam, et ad omnia, que vis, parati erimus.'

18 Tunc venit ad quintam domum, que ex toto aperta erat, et ait: 'Amice, hic libenter ingredi volo, sed scito, quod requiem quero molliorem quam plume prestare solent, calorem ferenziorem quam qui fieri ex lana solet, recenciorem cibum quam caro recens animalis prestare poterit.' **19** Responderunt, qui erant intus: 'Mallei iacent ad pedes nostros. Hiis libentissime confringemus pedes et crura nostra, et medullam de hoc fluentem dabimus tibi in requiem. **20** Viscera nostra et interiora omnia libenter tibi aperiemus. Et ingredere in hec! **21** Sicut enim medulla nostra nichil est mollius tibi ad requiesendum, sic visceribus nostris nichil est tibi melius ad calorem. **22** Cor nostrum recencius est inter animalia. Hoc libenter scindemus in cibum tuum. Tantummodo ingredere! Dulcis enim es ad gustandum et desiderabilis ad fruendum.'

23 Quinque domorum inhabitatores hii sunt quinque status hominum in mundo. Primi sunt infideles Christiani, qui iudicia filii mei dicunt iniusta, promissa eius falsa et mandata eius intolerabilia. **24** Isti sunt, qui ad predicatorum filii mei dicunt cogitatione, dicunt intellectu, dicunt blasphemia: 'Omnipotens si vere esset, longissimus est et non potest attingi. **25** Latissimus et altissimus est et non potest vestiri. Insaciabilis est et non potest refici. Impatientissimus est et non potest cohabitari.' **26** Longissimum eum dicunt, quia pusilli sunt opere et caritate et non conantur ad eius bonitatem assurgere. **27** Latissimum eum dicunt, quia cupiditas eorum nescit modum. Causantur semper defectum, susplicantur malum, antequam venerit. **28** Insaciabilem quoque arguunt, quia celum et terra non ei sufficit; quin et ab homine dona pociora exigit. Omnia dari pro anima secundum preceptum fatuissimum reputant, pro corpore pauciora graue dampnum. **29** Impatientissimum quoque eum dicunt, quia odit via et immittit contraria voluntati eorum, nichil reputantes pulchrum et utile, nisi que suggestis eis voluptas corporalis. **30** Nunc autem filius meus vere est omnipotens in celo et in terra, creator omnium et a nullo creatus, ante omnia manens et post eum nullus futurus. **31** Ipse quippe est longissimus, altissimus et latissimus intra omnia et extra et super omnia. **32** Quamuis autem sic potens est, tamen ex caritate misterio hominis vestiri desiderat, qui vestimento non indiget, quia omnia vestit, vestitus ipse eternaliter et immutabiliter honore perpetuo et gloria. **33** Refici caritate hominis desiderat, qui panis est angelorum et hominum, omnia reficiens et ipse nullorum indigens. **34** Pacem petit ab homine, qui pacis reformator est et conditor. **35** Ergo quicumque ipsum colligere voluerit hylari mente, saciare eum poterit eciam mica panis, si voluntas fuerit bona. Vestire eum sufficit filo, si caritas est ardens. Potare eum poterit stilla, si affectus fuerit rectus. Recipere eum valet in cor et loqui cum eo, si deuocio fuerit feraens et stabilis. **36** Spiritus enim est Deus. Ideo et in spiritualia voluit commutari

carnalia et in eternalia ea, que sunt casura. **37** Illud quoque sibi ipsi fieri et exhiberi reputat, quod exhibetur suis membris. Nec opus et facultatem solam attendit sed feruentem voluntatem et qua opus factum fuerit intencione. **38** Verum isti, quo plus filius meus ad eos occultis inspiracionibus clamat, quo plus in predicatoribus suis eos ammonuerit, eo plus mentem suam contra eum affirmant, nec audiunt nec ei ostium per voluntatem aperiunt nec operibus caritatis introducunt. **39** Ideo, cum tempus eorum venerit, falsitas, cui innituntur, annichilabitur, veritas exaltabitur et gloria Dei erit manifesta.

40 Secundi sunt Iudei indurati. Hii sibi ipsis videntur in omnibus esse racionabiles, sapienciam suam habent pro legali iusticia, opera sua predican et tenent ceteris honoraciora. **41** Isti si facta filii mei audierint, reputant contemptibilia. Si verba eius et mandata audierint, dedianctur, ymmo et peccatores et maculosos se existimant, si considerant et audiunt, que pertinent ad filium meum, infeliores quoque et miserabiliores, si eius imitarentur opera. **42** Quamdui autem mundus eis afflauerit, reputant se felicissimos. Quamdui sani sunt viribus, credunt se fortissimos. Ideo spes eorum cadet in nichil et gloria eorum in confusionem.

43 Tercii sunt pagani. Horum quidam deridendo clamant cotidie: 'Quis est ille Christus? Si dulcis est in dando presencia, libenter recipiemus eum, si mitis in condonando peccata, libencius honorabimus eum.' **44** Sed isti clauerunt oculos intelligencie sue, ne intelligent iusticiam et misericordiam Dei. Obturant aures suas et non audiunt, quid filius meus fecit pro eis et pro omnibus. **45** Contrahunt os suum et non inquirunt, quid futurum erit eis et quid expedit. Complicant manus suas et laborare renuunt ad perquirendum viam, quomodo fugiant mendacium et inueniant veritatem. **46** Propterea quia nolunt intelligere et cauere, cum possunt et tempus habent, cadent cum habitacione sua et in tempestate inuoluentur.

47 Quarti sunt illi Iudei et pagani, qui libenter essent Christiani, si scirent quomodo et quid filio meo esset placitum et si haberent adiutorem. **48** Hii audiunt cotidie a circumiacentibus et intelligunt ex clamore interno amoris et signis, quanta fecit filius meus et passus est pro omnibus. Ideo in conscientia sua clamant ad filium meum dicentes: **49** 'O Domine, audiuius, quod promisisti te nobis daturum. Ideo expectamus te. Veni et comple promissum tuum! **50** Intelligimus enim et videmus de hiis, qui dii coluntur, quod in eis est nulla deitatis virtus, nulla animarum caritas, nulla castitatis predicanda magnitudo. Sed inuenimus in eis corporum animacionem, honoris presentis mundi dilectionem. **51** Intelligimus quoque de lege tua et audimus opera tua magnalia in omni misericordia et iusticia. Audimus de prophetarum tuorum dictis, quod te, quem prophetauerunt, expectabant. **52** Ergo, piissime Domine, veni! Libenter enim nosmetipsos dabimus tibi, quia intelligimus, quod in te est animarum caritas, omnium rerum discretus usus, perfecta puritas et vita sempiterna. **53** Ergo veni cicias, quia mortui sumus pre expectacione tui, et illumina nos!' **54** Sic igitur isti clamant ad filium meum. Et ideo quasi ad dimidietatem apertum est ostium eorum, quia completam habent voluntatem ad bonum, sed nondum peruererunt ad effectum. Isti sunt, qui merentur habere graciam filii mei et consolacionem.

55 In quinta domo sunt amici mei et filii mei, quorum mentis ostium ad plenum apertum est filio meo. Isti filium meum vocantem libenter audiunt. Pulsanti non solum aperiunt sed et venienti hylariter occurunt. **56** Isti frangunt malleis diuinorum preceptorum, quidquid in eis est distortum. Et preparant filio meo requiem, non in plumis auium sed in concordia virtutum et in refrenacione malarum affectionum, que est medulla omnium virtutum. **57** Isti eciam filio meo exhibent calorem, non qui fit de lana sed in caritate tam feruent, quod non solum tribuunt sua filio meo sed et se ipsos. **58** Insuper refectionem ei preparant recenciorem omni carne, que est in corde perfectissimo, quo nichil desiderant, nichil diligunt nisi Deum suum. **59** In istorum corde habitator celi dominus est, et ex istorum caritate Deus omnia reficiens suauiter reficitur. Isti

semper oculos habent ad ostia, ne intret inimicus, aures ad Dominum, manus ad pugnandum contra inimicum.

60 Hos tu, filia, in quantum potes, imitare, quia fundamentum eorum in petra est firmissima. Alie vero domus fundamentum habent in luto et ideo veniente vento concucentur.”

Verba matris Dei ad Filium pro sponsa et qualiter Christus per Salomonem figuratur et de crudeli sentencia contra falsos Christianos. Capitulum IV.

1 Mater Dei loquebatur ad Filium dicens: ”Ecce, Fili, sponsa tua plorat, quia pauci sunt amici tui et inimici multi.” **2** Respondit Filius: ”Scriptum est, quod filii regni eicientur et filii non regni accipient hereditatem. Sic eciam scribitur, quod quedam regina de ultimis finibus venit videre diuicias Salomonis et audire sapienciam eius. **3** Que cum vidit, vix pre admiracione habuit spiritum. Qui autem erant in regno eius, non attendebant sapienciam eius nec admirabantur diuicias eius. **4** Ego sum ille Salomon in figura, sed longe dicio et sapiencior Salomone, quia a me est omnis sapiencia et si quis sapiens est. **5** Diuicie mee sunt vita eterna et gloria indicibilis. Has ego promisi Christianis et prebui tamquam filiis, ut, si me imitarentur et verbis meis crederent, sine fine eas possiderent. **6** Sed isti sapienciam meam non attendunt, opera despiciunt, promissionem meam et diuicias meas habent pro nichilo. Quid ergo faciam eis? **7** Utique, quia filii nolunt habere hereditatem, idest pagani, recipient. Ipsi enim sicut regina extranea, per quam intelligo fideles animas, venient et mirabuntur diuicias glorie mee et caritatis in tantum, quod a spiritu infidelitatis sue cadent et spiritu meo replebuntur. **8** Quid autem faciam filiis regni? Faciam eis sicut sapiens figulus, qui materiam, quam de luto prius fecit, cum non prospexerit eam honestam et aptam, deprimit eam ad terram et comminuit. **9** Sic ego Christianis faciam. Qui cum mei esse deberent, quia eos ad ymaginem meam formaui et per sanguinem meum redemi, sed deformati sunt contemptibiliter. Propterea sicut terra conculcabuntur et in infernum deprimentur.”

Verba Domini presente sponsa de sui magnificencia et in figura mirabili, qualiter Christus per Dauid et Iudei et mali Christiani et pagani per tres filios Dauid designantur et qualiter Ecclesia subsistit in septem sacramentis. Capitulum V.

1 ”Ego sum Deus, non lapideus vel ligneus nec ab aliquo creatus sed omnium creator, manens sine principio et sine fine. Ego sum, qui veni in virginem et fui cum virgine, non tamen amittens deitatem. **2** Sed ego, qui eram per humanitatem in virgine manente deitate, ego idem cum Patre et Spiritu sancto regnabam in celo et in terra per deitatem. **3** Ego eciam Spiritu meo inflammabam virginem, non quod Spiritus meus, qui inflammabat, separaretur a me, sed idem, qui inflammabat, idem erat in Patre et in me Filio, et in eo Pater et Filius, et hii unus Deus, non tres dii.

4 Ego sum similis Dauid regi, qui habuit tres filios. Unus eorum vocabatur Absalon, qui querebat vitam patris. Secundus eorum querebat regnum patris sui, scilicet Adonias. Tercius optimuit regnum, scilicet Salomon.

5 Primus notat Iudeos. Hii sunt, qui vitam meam et mortem meam querebant et despiciebant consilium meum. Propterea nunc cognita retribucione eorum possum dicere, sicut dixit Dauid de filio suo mortuo: **6** 'Fili mi Absalon!', idest: O filii Iudei, ubi est nunc desiderium vestrum et expectacio? O filii mei, ubi est nunc finis vester? **7** Compaciebar vobis ex eo, cum me desiderastis venturum, quem tot signis audistis venisse, cum desiderastis fugitiua, que omnia iam fugerunt. **8** Sed nunc magis compacior, sicut Dauid reiterans verbum primum, quia video finem vestrum in miseria mortis. Ideo adhuc ex maxima caritate dico, sicut dixit Dauid: 'Fili mi, quis det michi, ut moriar pro te?' **9** Dauid enim sciuit se bene non posse morte sua filium reuocare mortuum, sed ut ostenderet affectum caritatis paterne et voluntatis bone promptissimum, si possibile fuisset, libenter, licet sciret esse impossibile, mortem suscepisset pro filio. **10** Sic ego nunc dico: O filii Iudei, qui licet malam voluntatem habuistis ad me et, in quantum potuistis, fecistis contra me, si possibile esset et Patri sic placeret, libenter adhuc semel morerer pro vobis, quia compacior miserie vestre, quam vobis exigente iusticia vos ipsi fecistis. **11** Dixi enim vobis facienda verbo et ostendi exemplo. Precessi vos quasi gallina alis caritatis fouendo, sed omnia spreuiistis. **12** Ideo omnia, que desiderastis, fugierunt. Finis vester est miseria et labor omnis euacuatus.

13 In secundo filio Dauid notantur mali Christiani. Qui contra patrem suum in senectute deliquit. Cogitauit enim secum sic: 'Pater meus senex est et deficit viribus. **14** Si locutus ei aliqua sinistra fuerit, non respondet. Si fecero aliqua contraria, non vindicabit. Si attemptauero contra eum aliqua, pacienter suffert. Propterea faciam, que volo.' **15** Hic cum quibusdam seruis Dauid patris sui ascendebat in lucum, ubi paue erant arbores, ut regnaret. Sed apparente sapiencia et voluntate patris immutatum est consilium eius et ipsi, qui cum ipso erant, dehonestati sunt. **16** Sic faciunt nunc michi Christiani. Ipsi cogitant apud se sic: 'Signa Dei et iudicia non sunt nunc aperta ut prius. Nos possumus loqui, que volumus, quia misericors est et non attendit. Faciamus, que nobis placent, quia faciliter indulget.' **17** Ipsi diffidunt de potencia mea, quasi nunc infirmior sim ad faciendum, que volo, quam prius. Ipsi caritatem meam minorem arbitrantur, quasi noluerim iam eis ut patribus eorum misereri. Ipsi et iudicium meum reputant ludibrium et iusticiam meam vanitatem. **18** Propterea et ascendunt in lucum cum quibusdam seruis Dauid, ut regnent fiducialiter. **19** Quis est iste lucus, ubi paue arbores stare solent, nisi sancta Ecclesia, que ex septem sacramentis quasi ex paucis arboribus subsistit? **20** In hanc Ecclesiam intrant, sed cum aliquibus seruis Dauid, idest cum paucis operibus bonis, ut fiducialiter optineant regnum Dei. Quia ipsi faciunt modica opera bona, ex quibus confidunt, quod, in quocumque peccato fuerint et qualemcumque peccatum fecerint, nichilominus regnum celeste quasi hereditario iure habere possint. **21** Sed sicut filius Dauid, qui contra voluntatem Dauid regnum optinere voluit, repulsus est cum dedecore, quia ambiuit iniuste et iniustus erat, et dabatur sapienciori et meliori, sic ipsi a regno meo expellentur et dabitus eis, qui voluntatem Dauid faciunt, quia nullus, nisi qui caritatem habuerit, regnum meum optinere poterit, **22** nec nisi mundus et secundum cor meum se dirigens michi mundissimo poterit appropinquare.

23 Tercius filius Dauid erat Salomon. Hic significat paganos. Cum audiuit Bersabee, quod alter quam Salomon, cui Dauid promisit post se regnaturum, a quibusdam electus esset, intravit ad Dauid et ait: **24** 'Domine mi, tu iurasti michi, quod Salomon post te regnaret. Nunc autem alter electus est. Si sic contingit et sic habebit processum, tunc ego quasi adultera iudicor ad ignem et filius meus erit illegittimus.' **25** Quibus auditis Dauid erexit se et dixit: 'Iuro per Deum, quod Salomon in sede mea sedebit et post me regnabit.' **26** Et precepit seruis suis, ut Salomonem exaltarent in sede regni sui et predicarent regem, quem Dauid elegisset. Qui preceptum domini sui compleentes cum potestate magna exaltauerunt Salomonem, et omnes alii, qui fratri suo consenserunt, fugati sunt et in seruitutem redacti.

27 Que est ista Bersabee, que se pro adultera, si alius rex eligitur, reputabit, nisi fides paganorum? Nullum enim peius adulterium est quam fornicari a Deo et a fide recta et alium Deum credere quam creatorem omnium. **28** Sed tamquam Bersabee quidam gentilium cum humili corde et contrito veniunt ad me dicentes: 'Domine, nos in futurum esse Christianos promisisti; perfice ergo promissum tuum! **29** Si alius rex, si alia fides amplius quam tua super nos surrexerit, si tu separabis te a nobis, incendemur miseri et quasi adultera, que pro legitimo suscepit adulterum, moriemur. **30** Et licet tu in eternum viuas, tu tamen morieris a nobis et nos a te, cum tu per graciam tuam elongas te a cordibus nostris et nos per diffidenciam nostram opponimus nos tibi. **31** Propterea comple promissum tuum et conforta infirmitatem nostram et illumina tenebras nostras! Nam si distuleris, si te a nobis elongaueris, periemsus.' **32** Quibus auditis ego quasi alter Daud volo nunc erigere me per graciam meam et misericordiam. Iuro igitur per deitatem meam, que est cum humanitate mea, et per humanitatem, que est in Spiritu meo, et per Spiritum meum, qui est in deitate et humanitate mea, et hii tres non tres dii sed unus Deus, quod complebo promissionem meam. **33** Mittam enim amicos meos, qui Salomonem filium meum, idest paganos, introducant in lucum, idest in Ecclesiam, que ex septem sacramentis quasi ex septem arboribus subsistit, scilicet baptismo, penitencia, confirmatione crismatis, sacramento altaris et sacerdotii, coniugio et unccione, et requiescent in sede mea, idest fide recta sancte Ecclesie. **34** Christiani autem mali fient eorum serui. Illi gaudebunt de hereditate perpetua et dulcedine, quam eis preparabo. Isti autem in miseria ingemiscent, que incipiet eis in presenti et in perpetuum durabit. **35** Ergo amici mei, quia iam tempus est vigilandi, non dormitent, non attendentur, nam merces gloria sequitur labore eorum."

Verba Filii presente sponsa de quodam rege existente in campo cum amicis ad dexteram et inimicis ad sinistram et qualiter per talem regem Christus, habens Christianos ad dexteram et paganos ad sinistram, designatur et qualiter rejectis Christianis suos mittit predicatores ad paganos. Capitulum VI.

1 Filius loquebatur: "Ego sum quasi rex, qui stabat in campo, ad cuius dexteram stabant amici et ad sinistram inimici. Quibus stantibus vox una cuiusdam clamantis venit ad dexteram, ubi omnes bene armati stabant. **2** Galeas habebant ligatas et facies conuersas ad dominum. Clamabat autem vox sic: 'Vertite vos ad me et credite michi! Ego habeo aurum dare vobis.' **3** Qui audientes verterunt se ad eum. Quibus versis dixit vox secundo: 'Si volueritis videre aurum, soluite galeas vestras, et si possidere desideratis, ego iterum ligabo galeas vestras ad voluntatem meam. **4** Quibus fauentibus ei ligauit galeas eorum ex transuerso ita, quod anteriora et foramina, per que videre debebant, erant in occipite, et posteriora galee obumbrabant oculos, ne viderent. Et sic ille clamans cecos duxit eos post se. **5** Quibus gestis nunciauerunt quidam amici regis domino suo, quod homines sui ab inimicis suis essent supplantati. Qui ait ad amicos suos: **6** 'Exite inter eos et clamate sic: Soluite galeas vestras et videte, quia decepti estis! Conuertimini ad me, et ego recipiam vos in pace!' **7** Qui noluerunt audire sed habuerunt pro derisu. **8** Quod serui audientes nunciauerunt hoc domino suo, qui ait: 'Ergo quia ipsi contempserunt me, cito procedite ad sinistram et dicite eis, qui ad sinistram stant, hec tria: Via, que dicit vos ad vitam, parata est vobis. Porta aperta est. Et dominus personaliter cum pace vult occurrere vobis. **9** Ergo credite firmiter viam esse paratam! Sperate stabiliter portam esse apertam et verba eius esse vera! Occurrите cum caritate domino, et ipse cum caritate et pace suscipiet vos et ducet in perpetuam pacem!' **10** Qui audientes verba nunciorum crediderunt et suscepti sunt in pace.

11 Ego sum ille rex, qui Christianos habui ad dexteram, quia eis eternum bonum preparau. Quorum galee tunc ligate et facies ad me verse erant, quando voluntatem perfectam habuerunt facere voluntatem meam, obedire mandatis meis et desiderium totum erat ad celum. **12** Tandem vox dyaboli, idest superbia, sonuit in mundo, que ostendit mundi diuicias et carnalem voluptatem. Ad quam tunc se verterunt, cum affectum et consensum superbie dederunt. **13** Pro qua et tunc galeas deposuerunt, cum affectum opere compleuerunt et temporalia spiritualibus preposuerunt. **14** Depositis ergo galeis diuine voluntatis et armis virtutum tantum nunc superbia preualuit in eis et tantum eos sibi obligauit, quod libenter usque in finem volunt peccare et libenter in eternum vellent viuere, ut in eternum possent peccare. **15** Que eciam sic obumbravit eos, quod foramina galearum, per que videre deberent, stant in occipite et in fronte tenebre sunt. **16** Que enim sunt foramina galearum nisi consideracio futurorum et prouida circumspecchio presencium? **17** Per primum foramen deberent considerare premia eterna, quam delectabilia sunt, et futura supplicia, quam horribilia, ac Dei iudicia quam terribilia. **18** Per secundum foramen deberent considerare, que essent precepta a Deo et que prohibita, quantum excederent a mandatis Dei et quomodo emendant. **19** Sed hec foramina stant in occipite, ubi nichil videtur, quia consideracio celestium tradita est obliuioni. Amor Dei refriguit, amor autem mundi tam suauiter consideratur et amplectitur, quod eos dicit tamquam rotam bene unctam ad quecumque velit. **20** Verumptamen amici mei, videntes dehonestatem meam, animarum casum et dyaboli dominium, cotidie pro eis ad me precibus suis clamant. **21** Quorum preces penetrauerunt celum et intrauerunt aures meas, et flexus precibus eorum misi eis cotidie predicatores meos, ostendi signa et multiplicau ei gratiam meam. Sed omnia spernentes peccata peccatis addiderunt.

22 Propterea dicam nunc seruis meis et in veritate complebo: Procedite, serui mei, ad sinistram, idest ad paganos, qui tamquam ad sinistram idest in contemptum usque huc fuerunt! Procedite, inquam, et dicite sic: **23** 'Dominus celi et creator omnium facit vobis dici: Via celi aperta est vobis. Habete voluntatem intrandi cum firma fide! Porta celi stat vobis aperta. Sperate firmiter, et intrabitis in eam! **24** Rex celi et dominus angelorum vult personaliter occurrere vobis et dare pacem et perpetuam benedictionem. Occurrite ei et suscipite eum cum fide eius, quam vobis ostendit, qua via celi preparatur! **25** Suscipite eum cum spe, qua speratis, cum ipse habeat iam velle dare vobis celum! Diligite eum toto corde et opere complete, et ingrediemini portas Dei, a quibus Christiani, qui eas ingredi nolunt et se indignos per opera sua faciunt, repellentur!' **26** In veritate mea dico vobis, quod complebo verba mea et non dimittam. Suscipiam vos in filios et ero vobis in patrem, quem Christiani contemptibiliter contempserunt.

27 Vos ergo, amici mei, qui estis in mundo, procedite securi et clamate, annunciate eis voluntatem meam et iuuate, ut possint complere! Ego ero in corde et in ore vestro. Ego ero dux vester in vita et conseruator in morte. **28** Non relinquam vos. Procedite audacter, quia ex labore crescat gloria! Omnia enim possem in uno puncto et verbo, sed volo, ut ex certamine crescat vobis merces et ex virilitate vestra crescat honor meus. **29** Nec miremini, quod loquor! Nam si sapientissimus in mundo posset considerare, quot anime descendunt cotidie in infernum, plures essent quam arena maris dinumerata et lapilli riparum. **30** Hec enim est iusticia, quia se a Deo et Domino suo separauerunt. Propterea ut minuatur numerus dyaboli, sciatur periculum et impleatur exercitus meus, loquor, si forte audierint et resipiscant."

Verba Iesu Christi ad sponsam, qualiter eius deitas corone comparatur et quomodo status clericorum et

laycorum per Petrum et Paulum designantur, et de modis contra inimicos tenendis et de condicionibus

penes milites seculares habendis. Capitulum VII.

1 Filius loquebatur ad sponsam dicens: "Ego sum rex corone. Numquid scis tu, quare dixerim 'rex corone'?"
2 Certe deitas mea sine principio erat et sine fine erit et est. Hec deitas merito corone assimilatur, quia sine inicio et sine fine est. **3** Sicut autem in regno corona seruatur regi futuro, sic deitas mea seruabatur humanitati mee, qua ipsa coronaretur.

4 Ego autem habui duos famulos. Unus erat clericus, alter laycus. Primus erat Petrus clerici officium habens, Paulus autem quasi laycus. **5** Petrus fuit alligatus coniugio. Qui videns coniugium cum officio clerici non posse conuenire et rectitudinem mentis sue in incontinencia periclitari perpendens separauit se quantum ad commixtionem a coniugio quamvis licto, et perfecta mente adhesit michi. **6** Paulus autem castitatem seruauit et se immaculatum a thoro custodiuuit. **7** Ecce qualem caritatem cum istis duobus feci! Primo, idest Petro, dedi claves celi, ut quecumque ligaret et solueret in terra, ligata et soluta essent in celo. **8** Secundo, idest Paulo, dedi, ut similis Petro fieret in gloria et honore. Sicut enim in terra pares fuerunt et coniuncti, sic nunc in celo in gloria perpetua coniuncti sunt et glorificati. **9** Sed licet istos duos expresse nominauerim, tamen cum eis et in eis alios amicos meos intelligo. Sicut enim olim in lege ad solum Israel quasi ad unum hominem loquebar, cum tamen totum Israeliticum populum in illo nomine notabam, sic nunc in istis duobus plures intelligo, quos gloria mea et caritate repleui.

10 Procedente autem aliquo tempore ceperunt mala multiplicari et caro infirmari et procliuior solito ad malum esse. **11** Propterea utrique statui, clericorum scilicet et laycorum, quos in Petro et Paulo intelligo, misericorditer consulens permisi clericos bona Ecclesie ad utilitatem corporis moderate habere, ut eo feruenciores et frequenciores essent in seruicio meo. Permisii et laycis coniugium iuxta ritum Ecclesie. **12** Inter clericos erat quidam bonus homo, qui cogitabat apud se: 'Caro trahit me ad prauam voluptatem, mundus ad nocuum visum, dyabolus ponit michi multipliciter peccati insidias. **13** Ideo, ne supplanter a carne et a voluptate, ponam modum in omnibus actibus meis, moderabo me in refectione et quiete, seruabo tempus debitum in labore et oracione, refrenabo carnem ieuniis. **14** Secundo, ne mundus trahat me ab amore Dei, omnia, que mundi sunt, quia caduca sunt, relinquere volo. Paupertate Christum sequi tucius est. **15** Tercio, ne dyabolus decipiat me, qui semper falsa ostendit pro vero, subiciam me regimini et obediencie alterius, omnem voluntatem propriam abiciam et paratum me exhibebo ad omnia, quecumque michi ab alio fuerint imperata.' **16** Hic est, qui primum instituit monasterium et laudabiliter in eo perseverans et aliis vitam suam imitandam dereliquit.

17 Status laycorum bene erat ad tempus dispositus. Quidam eorum excolebant terram et labori agrorum viriliter instabant. **18** Alii velificabant nauibus et mercimonia aliis regionibus deferebant, ut unius regionis fertilitas alterius subleuaret inopiam. **19** Quidam instabant operi manuum et diuersarum arcium. Inter istos erant quidam defensores Ecclesie mee, qui nunc dicuntur curiales. Qui assumpserunt sibi arma ad ulcionem Ecclesie sancte, ad expugnacionem inimicorum eius. **20** In istis curialibus apparuit quidam bonus homo et amicus meus, qui cogitabat apud se: **21** 'Non excolo terram ut agricultor, non desudo in fluctibus maris ut mercator, non insisto labori manuum ut operator egregius. **22** Quid ergo faciam aut quibus operibus placabo Deum meum? Sed nec virilis sum in labore Ecclesie. **23** Corpus meum debile est et molle ad pacienda vulnera, manus remissa ad feriendum inimicos, mens fastidiosa ad cogitandum celestia. Quid ergo faciendum est modo?' **24** Certe scio, quid faciam. Surgam et obligabo me cum iuramento stabili sub temporali principe, quod defensurus sim viribus meis et sanguine meo fidem sancte Ecclesie.' **25** Veniens autem ille amicus meus ad principem ait: 'Domine, ego sum de defensoribus Ecclesie. **26** Corpus meum nimis molle est ad paciendum vulnera, manus remissa ad feriendum, mens instabilis ad cogitandum bona et laborandum, voluntas michi placet propria, requies non sinit me fortiter pro domo Dei stare. **27** Ideo constringo me cum iuramento publico sub obediencia sancte Ecclesie et tua, o princeps, quod eam

defensurus sim omnibus diebus vite mee, ut, si forte tepida mens et voluntas fuerit ad certandum, propter iuramentum teneor et compelli possum ad laborandum.'

28 Cui respondit princeps: 'Vadam tecum ad domum Domini et ero testis iuramenti tui et promissionis tue.' **29** Venientes autem ambo ad altare meum, amicus meus flexo genu ante altare meum dixit: 'Ego nimis infirmus sum in carne mea ad pacienda vulnera, voluntas propria nimis est michi cara, manus tepida ad percuciendum. **30** Ideo in presenti promitto obedienciam Deo et tibi, qui caput es, cum iuramento meo firmiter astringens me sanctam Ecclesiam contra inimicos eius defensurum, amicos Dei confortaturum, viduis, orphanis et fidelibus Dei benefacturum, contra Dei Ecclesiam et fidem eius numquam aliquid contrarium acturum. **31** Insuper obligo me correccióni tue, si errare me contingat, ad hoc, ut obligatus ad obedienciam tanto magis cauere possim peccata et voluntatem propriam et tanto feruencius et facilius insistere voluntati Dei et tue sciamque tanto michi esse dampnabilius ceteris et contemptibilis, si violata obediencia mandatis tuis contraire presumpsero.'

32 Facta autem ista professione ad altare meum princeps sapienter considerans dispositus sibi habitum ab aliis secularibus distinctum, in signum abdicacionis voluntatis proprie et ut sciret se superiorem habere et debere ei obtemperare. **33** Dedit eciam sibi princeps in manu eius gladium dicens: 'Hoc gladio inimicos Dei comminues et interficies.' **34** Dedit et in brachium eius clipeum dicens: 'Hoc clipeo defende te contra inimicorum iacula et pacienter tolera illata, ut prius crepat clipeus quam fugias!' **35** Iste amicus meus hec omnia audiente clero meo, qui presens erat, firmiter seruaturum se promisit. Qui clericus facta promissione dedit ei corpus meum in robur et fortitudinem, ut amicus meus per corpus meum michi unitus numquam a me separaretur. **36** Talis fuit amicus meus Georgius et plures alii. Tales et deberent esse milites, qui nomen deberent habere propter dignitatem, habitum propter operacionem et defensionem fidei sancte.

37 Audi nunc, quid inimici mei faciunt contra ea, que amici mei prius fecerunt! **38** Denique amici mei ingrediebantur monasteria ex discreto timore et diuina caritate. Sed hii, qui nunc sunt in monasteriis, vadunt in mundum pro superbia et cupiditate habentes propriam voluntatem, facientes corporis sui delectamenta. **39** Istrom, qui in tali voluntate moriuntur, iusticia est, quod non senciant nec optineant celeste gaudium sed penam in inferno sine fine. **40** Scito eciam, quod claustrales, qui coguntur contra velle proprium ex diuina caritate fieri prelati, non sunt in eorum numero computandi. **41** Milites quoque, qui mea portabant arma, fuerunt parati dare vitam pro iusticia et effundere sanguinem propter fidem sanctam, indigentes promouendo ad iusticiam, malosque deprimere et humiliare. **42** Sed nunc audi, quomodo auersi sunt! Placet quippe eis nunc magis mori in bello pro superbia et cupiditate et inuidia iuxta dyabolicas suggestiones quam secundum mandata mea viuere ad optimendum gaudium sempiternum. **43** Ergo omnes, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendum ex iudicio iusticie, scilicet animabus eorum in eterna dyaboli coniunctione. **44** Hii vero, qui michi seruunt, tenentur habere stipendum cum celesti exercitu sine fine.

45 Hec verba ego, Iesus Christus, locutus sum, verus Deus et homo, unus cum Patre et Spiritu sancto, semper Deus."

Verba Christi ad sponsam de cuiusdam militis retrocessione a vera milicia, idest ab humilitate, obediencia, paciencia et fide etcetera ad falsam, idest ad superbiam etcetera per contrarium, et de sue dampnacionis experientia et de dampnacionis incursu propter malam voluntatem sicut propter opus. Capitulum VIII.

1 "Ego sum verus Dominus. Nullus enim dominus est me excellencior, nec ante me fuit nec post me erit, sed omne dominium est a me et per me. **2** Ideo ego verus sum Dominus, nec aliquis vere dominus dicendus est nisi ego solus, quia a me omnis est potestas.

3 Dixi tibi prius, quod duos habui famulos, quorum alter vitam laudabilem viriliter assumpsit et virilius consumauit. Quem innumerabiles postea in eadem vita et milicia sequebantur. **4** Nunc dicam tibi, quis de professione milicie institute ab amico meo primo recessit. Nomen eius non dico tibi, quia non cognoscis eum ex nomine, sed intencionem eius et affectum tibi ostendam, qualis erat.

5 Quidam volens fieri miles venit ad templum meum. Qui ingrediens audiuist vocem: 'Si tu vis fieri miles, oportet te habere ista tria: **6** Primo debes credere panem, qui videtur in altari, esse Deum verum et hominem, celi et terre creatorem. **7** Secundo debes habere maiorem abstinentiam a voluntate tua post assumptam miliciam quam antea consueuisti. **8** Tercio non debes curare de honore mundi, et dabo tibi delectacionem diuinam et honorem sempiternum.'

9 Quibus auditis et ipso secum hec tria deliberante, audiuist in mente sua vocem aliam pessimam tribus primis tria contraria sonantem: 'Si', inquit, 'volueris michi seruire, dabo tibi alia tria. **10** Dabo tibi possidere, que vides, audire, que delectant, optimere, que appetis.' **11** Qui audiens ista cogitauit apud se: 'Ille dominus primus iubet me credere, que non video, promittit, que nescio, iubet abstinere a delectabilibus, que video et desidero, iubet sperare incerta. **12** Alter autem promittit michi mundi honorem, quem video, delectacionem, quam appeto, auditum delectabilem et visum non prohibet. **13** Certe melius est michi sequi eum et habere, que video, uti hiis, de quibus certus sum, quam sperare incerta.'

14 Iste homo sic cogitans cepit primo de vera milicia retrocedere. Ipse abnegauit professionem veram et promissionem irritauit. **15** Clipeum paciencie proiecit ante pedes meos, gladium defensionis fidei reiecit de manibus suis et sic exiuit de templo meo. **16** Cui dixit vox illa pessima: 'Si, sicut dixi, volueris esse meus, tunc debes procedere cum omni superbia in campum et in plateas, ut, sicut ille Dominus precepit suis habere humilitatem in omnibus, sic nullum sit genus ostentacionis et superbie, quod te fugiat. **17** Et sicut ille intravit cum obediencia et omni se subdidit obediencie, sic nullum tu patere te esse superiorem! Nulli curues per humilitatem ceruicem tuam. **18** Gladium assume in manibus ad hoc, ut effundas sanguinem proximi tui et fratriss tui propter acquisitionem possessionis eius! **19** Clipeum pone in brachio ad hoc, ut libenter des vitam tuam pro acquisitione honoris! **20** Pro fide, quam ille habet, tu dilige templum corporis tui, ut a nulla voluptate, que te delectat, abstineas!'

21 In talibus ergo homine illo firmante voluntatem suam et intencionem princeps suus imposuit collo eius manum suam in loco ad hoc constituto. **22** Locus enim qualiscumque non obest alicui, si voluntas fuerit bona, nec prodest, si intencio fuerit prava. **23** Dictis autem verbis confirmationis milicie sue recessit ille, miliciam suam exercens ad omnem mundi superbiam, parupendens miser, quod ad maiora quam prius et ad austeriorem vitam fuerat obligatus. **24** Hunc militem infinite milicie sequebantur et sequuntur in superbiam, et profundius propter milicie professionem descendit in abyssum.

25 Sed potes querere, quod multi volunt exaltari in mundo et vocari magni sed tamen non preualent: numquid isti propter voluntatem malam eque punientur sicut hii, qui omnem processum iuxta desiderium habebunt? **26** Ad quod ego respondeo tibi: Quicumque completam habet voluntatem et facit, quantum potest, ut exaltari possit in mundo et in mundi honore et nomine vano vocari nec tamen propter occultum iudicium meum permittitur effectus voluntati, pro certo dico tibi, quod secundum voluntatem illam malam ita punietur sicut ille, qui compleuit opere, nisi penitencia voluntas corrigatur. **27** Ecce de duobus satis notis pluribus dico tibi exemplum. **28** Quorum unus iuxta voluntatem suam prosperabatur et fere omnia, que concupiuit, optimis. Alter eandem voluntatem habuit sed non optimis posse. **29** Primus optimis haborem mundi, dilexit templum corporis sui in omni voluptate, dominabatur, ut voluit, ad omnia, quo misit manum, proficiebat. **30** Alter eorum voluntate consimilis minorem habuit honorem. Qui gaudenter cencies fudisset sanguinem proximi sui, ut cupiditatem suam perficere potuisset. **31** Qui et fecit, quod potuit, et voluntatem suam iuxta desiderium suum adimpleuit. **32** Isti duo pares sunt in supplicio horrendo; qui licet non uno tempore et una hora fuerunt mortui ambo, tamen sic loquor de anima unius sicut de ambabus, quia ambarum una est dampnacio, una et vox ambarum erat in separacione corporis animeque egressu. **33** Egressa ergo anima de corpore ipsa loquebatur ad corpus sic: 'Dic michi, ubi est nunc visio oculorum delectabilis, quam michi promisisti, ubi voluptas, quam michi ostendisti, ubi verba delectabilia, quibus me uti precepisti?' **34** Affuit mox demon et respondit: 'Visio promissa non est nisi puluis, verba non sunt nisi aer, voluptas non est nisi lutum et putredo. Hec ad nichil tibi valent.' **35** Tunc clamabat anima: 'Heu, heu, quam miserabiliter decepta sum! Ego video tria. Video enim illum, qui in similitudine panis michi promittebatur. **36** Ipse est rex regum et dominus dominorum. Ego video, quod promisit, et hoc est indicibile et inexcogitabile. **37** Audio iam abstinenciam, quam suasit, fuisse utilissimam.' **38** Deinde alcius clamabat cum tribus ve: 'Ve', inquit, 'quia nata sum! Ve, quia tam longa fuit vita mea super terram! Ve, quia victura sum in morte perpetua, que numquam potest terminari!'

39 Ecce quantam miseriam miseri habebunt pro contemptu Dei sui et pro transitoria felicitate! Ideo, sponsa mea, regraciare michi, quia vocavi te de tanta miseria! **40** Obedi Spiritui meo et electis meis!"

*Verba Christi ad sponsam capituli immediate precedentis declaracionem inferencia, et de occurso dyaboli
ad supradictum militem et de eius terribili condempnacione per iusticiam. Capitulum IX.*

1 "Omne tempus vite huius non est nisi quasi una hora apud me. Ideo, quod dico tibi nunc, hoc semper fuit in presencia mea. **2** Dixi tibi prius, quod unus erat, qui incepit veram miliciam, alter, qui misere discessit ab ea. Ille vero, qui discessit a vera milicia, proiecit clipeum ante pedes meos, gladium ad latus meum, quando scilicet fregit promissionem et professionem sanctam. **3** Quid autem notat clipeus, quem proiecit, nisi fidem rectam, qua contra inimicos fidei et anime sue se defenderet? **4** Quid vero sunt pedes mei, quibus ad hominem vado, nisi diuina delectacio, qua hominem michi attraho, et pacienza mea, qua eum suffero pacienter? **5** Hunc autem clipeum proiecit, quando ingrediens templum meum cogitabat apud se: 'Hunc dominum sequi volo, qui consultit michi nullam abstinenciam, qui dat michi, que desidero, qui permittit michi audire, que delectant aures.' **6** Sic ergo proiecit clipeum fidei mee, quando magis sequi voluit voluntatem propriam quam me, quando plus dilexit creaturam quam Creatorem. **7** Si enim habuisset rectam fidem, si credisset me omnipotentem, si iuste iudicantem et datorem eterne glorie, nichil nisi me desiderasset, nichil nisi me timuisset. **8** Sed fidem meam abiecit et hoc ante pedes meos, quando spreta fide mea et pro nichilo reputata nec gaudium meum querebat nec pacienciam meam attendebat. **9** Deinde proiecit gladium ad latus meum. Quid notat gladius nisi timorem Dei, quem verus miles Dei debet habere

continue in manibus, idest in operacionibus suis? **10** Quid vero significat latus meum nisi custodiam et protectionem meam, sub qua filios meos sicut mater pullos suos foueo et defendo, ne dyabolus noceat eis, ne pericula intolerabilia adveniant eis? **11** Sed ille abiecit gladium timoris mei, quando non curauit cogitare potentiam meam nec attendebat caritatem meam et pacienciam. **12** Proiecit autem ad latus meum, quasi dicat: 'Non timeo nec euro de defensione tua. Ex industria enim mea est et nobilitate, quod habeo.'

13 Fregit eciam promissionem michi factam. Que est promissio vera, quam homo tenetur vouere Deo? Utique opus caritatis, ut, quidquid fecerit homo, hoc ex caritate Dei faciat. **14** Sed hanc irritauit, quando caritatem Dei retorsit ad amorem proprium, omnem voluptatem suam preposuit delectacioni future et eterne. **15** Ecce sic separabatur a me et exiuit de templo humilitatis mee. Omnia quippe Christianorum corpora, in quibus regnat humilitas, templum meum sunt. **16** In quibus autem est superbia, non templum meum sunt sed dyaboli, qui eos iuxta voluntatem suam regit ad mundi appetitum. **17** Egressus autem de templo humilitatis mee et reiecto clipeo fidei sancte et gladio timoris mei ascendit in campum cum omni superbia, exercuit se in omni voluptate et appetitu voluntatis proprie, contempto timore meo proficiens in peccato suo et voluptate.

18 Dum autem venisset ad extremum finem vite sue et anima exiret de corpore, demones occurrerunt ei cum impetu. **19** Contra quem tres voces de inferno sonuerunt. Prima dixit: **20** 'Numquid non est iste, qui recessit de humilitate et sequebatur nos in omni superbia? Et si adhuc duobus pedibus alcius in superbia supra nos ascendere posset, ut excederet nos et primatum haberet in superbia, libenter fecisset.' **21** Cui anima respondit: 'Vere ego sum.' **22** Cui respondit iusticia: 'Hec est retribucio tue superbie, ut de uno demone cadas ad alium, usquequo venias ad nouissimum inferni. **23** Et sicut nullus demonum erat, qui non sciebat certam penam suam et supplicium pro omni cogitatu inutili et opere infligendum, sic nullius supplicium effugies, quin omnium malicie et nequicie particeps sis.' **24** Secunda vox clamabat dicens: 'Numquid non est iste, qui de milicia Dei professa se separauit et adhesit milicie nostre?' **25** Respondit anima: 'Vere ego sum.' Et dixit iusticia: 'Hec est sors premii tui, ut omnis, quicumque miliciam tuam sequitur, malicia sua et pena dolorem tuum et penam augmentabit et in aduentu suo ad te quasi letali vulnere percuciet te. **26** Sicut enim ille, qui haberet vulnus seuum, si ei vulnus super vulnus, usquequo corpus vulneribus plenum esset, inferretur, intolerabiliter affligeretur et clamaret ve super ve, sic miseria super miseriam veniet tibi. **27** Dolor tuus super omnem dolorem renouabitur, pena tua numquam deficiet et ve tuum numquam minuetur.' **28** Tertia vox clamabat: 'Numquid non est iste, qui vendidit Creatorem pro creatura, caritatem Creatoris pro amore sui?' **29** Respondit iusticia: 'Utique ipse est. Ideo aperientur ei quasi due aperture. **30** Per unam ingredietur ei omnis pena constituta pro minimo peccato usque ad maximum, quia vendidit Creatorem suum pro voluptate sua. **31** Per secundam ingredietur ei omnis dolor et confusio, nec umquam ingredietur ei consolacio et caritas diuina, quia dilexit se pro Creatore suo. **32** Ideo sine fine durabit vita, sine fine durabit pena, quia ab eo omnes sancti auertunt faciem suam.'

33 Ecce, sponsa mea, quam miseri erunt, qui me contempnunt, et quantum dolorem emunt pro modica voluptate!"

Christi loquela ad sponsam sicut ad Moysen de rubo, qualiter per Pharaonem dyabolus et per populum

Israel moderni milites et per rubum corpus Virginis designantur et qualiter milites et moderni episcopi

modernis temporibus parant mansiones dyabolo. Capitulum X.

1 "Scribitur in lege Moysi, quod Moyses custodiens pecora in deserto, cum videret rubum, qui inflammabatur et non ardebat, timuit et velabat faciem suam. **2** Cui dixit vox de rubo: 'Affliccio populi mei ascendit in aures meas et misereor eis, quia durissimo seruicio opprimuntur.' **3** Ego sum illa vox de rubo sonans, qui nunc loquor tecum. Misera populi mei ascendit in aures meas. **4** Quis erat populus meus nisi Israel? Per hunc nunc intelligo milites in mundo, qui professi sunt miliciam meam, qui deberent esse mei sed nimis a dyabolo affliguntur. **5** Quid autem fecit Pharao populo meo Israel in Egypto? Certe tria mala: **6** Primo, quod in structura murorum suorum non ministrabantur laboratoribus palee, quibus conficerent lapides, sed personaliter congregabant sibi per regionem, ubi possent. **7** Secundo, quod edificatores pro labore suo non reportabant grates, quamuis impositum numerum lapidum impleuissent. **8** Tercio, quod affligeabant vehementer a prepositis, si in consueto numero defecissent. **9** Iste populus meus duas urbes in maxima afflictione edificauerunt Pharaoni.

10 Quis est iste Pharao nisi dyabolus, qui affligit populum meum, idest milites, qui tenerentur esse populus meus? **11** In veritate dico, quod, si milites stetissent in disposicione et constitucione ab amico meo primo incepta, inter cariores fuissent michi. **12** Sicut enim Abraham, accipiens primo mandatum circumcisionis et obediens michi, factus est meus amicus carissimus necnon et, quotquot sequebantur fidem Abrahe et operacionem eius, facti sunt participes dilectionis et glorie eius, sic milites inter alios ordines michi precipue placuerunt, quia voverunt, quod habebant carius, scilicet sanguinem suum pro me fundere. **13** Per quod votum michi summe placuerunt, sicut Abraham in circumcisione, et purgabantur cotidie in obseruacione sue professionis et assumptione sancte caritatis. **14** Nunc autem milites isti miserabili seruitute dyaboli opprimuntur ita, quod vulnerat eos dyabolus letali vulnere, insuper et detrudit illos in supplicium et dolorem. **15** Episcopi eciam Ecclesie edificant ei sicut filii Israel duas urbes. **16** Prima urbs est labor corporis et superuacua sollicitudo acquirendi mundalia. **17** Secunda est inquietudo et turbacio mentis, quia ab appetitu mundi numquam sinuntur quiescere. **18** Exterius est labor et intus est inquietudo et anxietas, spiritualia faciens onerosa.

19 Sed sicut Pharao non ministrabat populo meo necessaria ad conficiendum lateres nec areas dabat plenas frumento, non vinum et alia utilia, sed cum dolore et tribulacione spiritus populus sibi personaliter conquirebat, sic nunc facit eis dyabolus. **20** Quamuis ipsi laborant et totis medullis cordis inhiant mundo, non tamen possunt perficere, quod cupiunt, nec possunt saciare sitim cupiditatis sue. **21** Ideo uruntur dolore interius et exterius labore. **22** Ob quod compacior afflictioni eorum, quod milites mei et populus meus dyabolo edificant mansiones et laborant indesinenter et quod non possunt adimplere, quod cupiunt, et quod angustiantur in superuacuis et pro ipsa angustia non reportant fructum benedictionis sed retribucionem confusionis.

23 Propterea, cum Moyses mitteretur ad populum, dedit ei Deus signum triplici de causa. **24** Primo, quia unusquisque in Egypto colebat deum suum singulariter et innumerabiles erant, qui dicebantur dii. **25** Et ideo dignum erat fieri signum, ut ostenso mirabili signo et potencia Dei unus deus et unus omnium creator esse per signa crederetur et ydola omnia vana esse probarentur. **26** Secundo dabatur Moysi signum in figura et representacione corporis mei futuri. **27** Quid enim rubus ardens et non combustus designabat nisi Virginem de Spiritu sancto fecundatam et absque corrupcione parientem? **28** Ego certe de rubo illo processi, ego de virginea carne Marie assumpsi humanitatem. Similiter eciam serpens Moysi in signum datus significabat corpus meum. **29** Tercio dabatur signum Moysi propter veritatem astruendam faciendorum et per figuram signorum implendorum, ut veritas Dei tanto verior et cercior esse probaretur, quo ea, que signa significantur, tempore suo evidencius fuissent adimpta.

30 Nunc autem mitto verba mea ad filios Israel et ad milites, quibus iam non est necesse fieri signum triplici de causa. **31** Primo, quia iam colitur et scitur unus Deus et omnium creator ex Scriptura sancta et multiplicibus signis. **32** Secundo, quia iam non sperant me nasciturum, quia veraciter sciunt me natum et sine corrupcione incarnatum, quia Scriptura omnis completa est. **33** Nec melior fides et cercior haberi et credi debet quam que nunc a me et sanctis predicatoribus meis predicata est.

34 Verumptamen tria tecum feci, quibus credi potest. Primo, quod verba mea vera sunt et non discrepant a vera fide; secundo, quod ad verbum meum exiuit ab homine possesso demonium; tertio, quia uni dedi diffidencia corda ad caritatem mutuam reformare. **35** Ideo non dubites de hiis, qui credituri sunt michi. Qui enim credunt michi, credunt et verbis meis. **36** Quibus ego sapio, eis et sapiunt verba mea. **37** Propterea scribitur, quod Moyses ex collocuzione Dei velabat faciem suam. Tu autem non debes velare faciem tuam. **38** Ego quippe aperui tibi oculos spirituales, ut videas spiritualia, aperui aures, ut audias, que spiritus sunt. **39** Ego denique ostendam tibi corporis mei effigiem, quale fuit in passione et ante passionem, quale fuit post resurreccionem, quod Magdalena et Petrus et alii viderunt. **40** Audies eciam vocem meam, que loquebatur in rubo Moysi. Hec eadem nunc loquitur in anima tua.”

Verba melliflua Christi ad sponsam de gloria et honore boni et veri militis et de occurso angelorum mirifico ad ipsum et qualiter ipsum gloriosa trinitas piissime ad indicibilem requiem pro paruo labore recipit et assumit. Capitulum XI.

1 ”Dixi tibi prius de fine et pena militis, qui primo recessit a milicia michi professa. **2** Nunc dico tibi per similitudinem (quia aliter spiritualia non poteris intelligere) de gloria et honore illius, qui viriliter miliciam veram primo incepit et virilius consumauit. **3** Iste amicus meus cum venit ad finem vite sue et anima de corpore exiret, quinque legiones angelorum mittebantur in occursum eius. **4** Inter quos venerunt innumerabiles demones, ut aliquid sui iuris inuenient, quia pleni malicia sunt et ab ea numquam cessant. **5** Tunc una vox clare et lucide sonuit in celo dicens: ’Numquid non est iste, o Domine Pater, qui se ad voluntatem tuam alligauit et eam perfecte compleuit?’ **6** Tunc ipse personaliter respondit in conscientia sua: ’Vere ego sum.’ **7** Deinde tres voces audiebantur, una ex parte deitatis dicens: ’Numquid non ego te creavi et dedi tibi corpus et animam? **8** Tu es filius meus et voluntatem patris tui fecisti. Veni ergo nunc ad me, potentissimum creatorem tuum et dulcissimum patrem! **9** Tibi enim debetur eterna hereditas, quia filius es. Tibi debetur hereditas patris, quia ei obedisti. **10** Veni ergo, dulcissime, ad me! Ego recipiam te cum leticia et honore.’

11 Secunda vox audiebatur ex parte humanitatis dicens: ’Frater mi, veni ad fratrem tuum! Ego enim optuli me pro te in bellum, ego fudi sanguinem meum pro te. **12** Veni ad me, qui sequebaris voluntatem meam! Veni ad me, qui rependisti sanguinem pro sanguine, qui paratus fuisti dare mortem pro morte et vitam pro vita. **13** Ideo tu, qui sequebaris me in vita tua, veni nunc in vitam meam et gaudium meum, quod non finietur! Veraciter enim confiteor te fratrem meum.’

14 Tercia vox audiebatur ex parte Spiritus, qui non tres dii sed unus deus: ’Veni’, inquit, ’miles meus, qui fuisti sic desiderabilis intus, quod concupiui habitare tecum! **15** Tu fuisti sic virilis extra, quod dignus eras, ut defendarem te. **16** Ideo pro corporis tui inquietudine intra in requiem! Pro mentis tue tribulacione ingredere in consolacionem ineffabilem! Pro caritate tua et virili decertacione intra in me ipsum, et

habitabo in te et tu in me! **17** Veni ergo, egregie miles, ad me, qui nichil desiderasti nisi me! Veni, et repleberis diuina voluptate!

18 Postea quinque legiones angelorum quasi quinque vocibus sonuerunt. **19** Prima loquebatur dicens: 'Precedamus egregium militem istum et feramus ante eum arma sua, idest presentemus Deo nostro fidem suam, quam inconcussam conseruauit et ab inimicis iusticie defensauit!' **20** Secunda vox ait: 'Feramus ante eum clipeum suum, idest demonstremus Deo nostro pacienciam suam, que, quamuis Deo nostro nota sit, gloriosior tamen ex nostro erit testimonio. **21** Per pacienciam enim non solum aduersa sustinuit pacienter sed et pro aduersis gracias Deo referebat.' **22** Tercia vox ait: 'Precedamus eum et presentemus conspectui Dei nostri gladium eius, idest demonstremus obedienciam eius, qua in duris et lenibus iuxta modum professionis sue obediuit!' **23** Quarta vox ait: 'Venite et ostendamus Deo nostro equum suum, idest testimonium perhibeamus humilitatis eius! **24** Sicut enim equus fert corpus hominis, sic humilitas eius precedens eum et subsequens ad omne bonum opus ferebat eum. **25** Nichil quippe in eo inuenit superbia suum; ideo secure equitabat.' **26** Quinta vox ait: 'Venite et presentemus Deo nostro galeam eius, idest testimonium demus de diuino desiderio eius, quod habuit ad Deum! **27** Ipse denique omni hora meditabatur eum in corde. Ipsum habebat in ore, ipsum in operibus, ipsum super omnia desiderabat. **28** Pro eius amore et honore exhibuit se mortuum mundo. Ergo presentemus hec Deo nostro, quia dignus est iste pro modico labore eternam quietem <habere> et cum Domino suo letari, quem tantum et tocians desiderabat!'

29 Cum talibus vocibus et mirabili choro angelorum ferebatur amicus meus in requiem perpetuam. **30** Que videns anima exultans intime ait: 'Felix ego, quod umquam creata fui! Felix ego, quia Deo meo seruiui, quem nunc video! Felix ego, quia gaudium habeo et gloriam, que non finietur!' **31** Ecce taliter amicus meus venit ad me et tali premio remuneratus est. **32** Et quamuis non omnes fuderint sanguinem pro nomine meo, nichilominus tamen eandem mercedem habebunt, si habent voluntatem dare vitam suam pro me tempore se sic offerente et necessitate fidei ingruente. **33** Ecce quantum voluntas bona facit!"

Verba Christi ad sponsam de sue iusticie immutabilitate et eternitate et qualiter assumpta humanitate talis iusticia in caritate per ipsum fuerit illuminata et quomodo pie suam misericordiam exercet in dampnatis et dulciter ad misericordiam monet milites prelibatos. Capitulum XII.

1 "Ego sum verus rex, et nullus est dignus vocari rex nisi ego, quia a me est omnis honor et potestas. **2** Ego sum, qui iudicaui primum angelum, qui cecidit propter superbiam, cupiditatem et inuidiam. **3** Ego sum, qui iudicaui Adam et Cain et totum mundum immittendo propter hominum peccata diluuium. **4** Ego idem sum, qui populum Israeliticum permisi in captiuitatem venire et eum mirabiliter in signis mirabilibus eduxi. **5** In me est omnis iusticia, et erat et est sine principio et sine fine, nec aliquando imminuitur apud me sed vera in me permanet et immutabilis. **6** Et quamuis nunc isto tempore iusticia mea videatur aliquantulum micior et Deus quasi in iudicando nunc paciencior, hoc tamen non est immutatio iusticie mee, que numquam immutatur, sed ostensio maior caritatis mee. **7** Eadem quippe iusticia et eadem veritate iudicii nunc mundum iudico qua tunc, cum populum meum Egypciis seruire permisi, qua et in deserto affixi. **8** Sed ante incarnationem meam occultabatur dileccio, quam in iusticia habui, quasi lux abscondita seu aliqua nube obumbrata.

9 Assumpta vero humanitate licet mutabatur lex data, non tamen mutabatur iusticia sed evidens apparuit et copiosius illuminabatur in caritate per filium Dei, et hoc tripliciter. **10** Primo, quia mitigabatur lex, que

erat dura propter inobedientes et induratos et difficilis propter domandos superbos. **11** Secundo, quia filius Dei passus et mortuus est. **12** Tercio, quia iudicium quasi longius nunc quam antea ex misericordia et protrahi videtur et micius esse nunc in peccantes. **13** Multum quippe rigida et stricta videtur iusticia in primis parentibus, in unda diluuii, in morte in heremo prostratorum, et eadem iusticia nunc mecum est et eternaliter fuit. **14** Sed nunc magis misericordia et caritas appetit, que tunc rationabiliter in iusticia occultabatur et misericorditer licet occulcius exhibebatur, quia numquam iusticiam sine misericordia feci nec facio nec sine iusticia pietatem.

15 Nunc autem potes querere: si in omni iusticia habeo misericordiam, quomodo misericors sum in dampnatos? **16** Respondeo tibi per exemplum, quasi aliquis iudex sederet in iudicio et frater eius veniret ad iudicium iudicandus. Cui dicit iudex: **17** 'Tu frater meus es et ego iudex tuus et, licet te intime diligo, tamen non potero nec decet facere contra iusticiam. **18** Tu vides omnem iusticiam in conscientia tua secundum merita tua. Secundum hanc ergo oportet te iudicari. **19** Si enim possibile esset venire contra iusticiam, libenter pro te iudicium portarem.'

20 Ego sum sicut iudex ille. Hic frater meus est per humanitatem. Quo veniente ad iudicium meum conscientia eius dicit culpam suam et intelligit, secundum quam iudicandus est. **21** Ego vero, quia iustus sum, respondeo anime per similitudinem dicens sibi: 'Tu vides omnem iusticiam in conscientia tua. Dic ergo, quid mereris!' **22** Tunc respondit michi anima: 'Iudicium meum dicit michi conscientia mea et ipsum est pena digna pro meritis, quia non obediui tibi.' **23** Cui ego respondeo: 'Ego, iudex tuus, suscepit omnem penam pro te et notum feci tibi periculum tuum et viam eundi, ne tu venires in penam. **24** Iusticia quippe fuit, ut ante satisfaccionem culpe celum non intrares. Hanc ego sustinui pro te, quia personaliter impotens eras ad paciendum. **25** Ego ostendi tibi per prophetas, que michi erant futura, et nec minimum punctum, de quo prophete vaticinabantur, preteriui. **26** Ego ostendi tibi omnem dilectionem, quam poteram, ut verteres te ad me. Sed quia auertisti te a me, ideo iusticia nunc es dignus, quia misericordiam contempsisti. **27** Verumtamen adhuc ita misericors sum, quod, si possibile esset me iterato mori, magis eandem penam, quam in cruce semel paciebar, iterum magis paterer pro te quam tali iusticia viderem te iudicari. **28** Sed iusticia dicit impossibile esse me iterato mori. Misericordia vero dicit, si possibile esset, morerer libenter pro te. **29** Ecce quomodo misericors sum eciam in dampnatos et quam caritatius! Quidquid enim facio, hoc facio, ut ostendam caritatem meam. **30** Ab inicio quippe dilexi hominem, eciam cum iratus viderer, sed dilectionem meam nullus curat nec attendit.

31 Nunc ergo, quia iustus et misericors sum, moneo eos, qui dicuntur milites, ut querant misericordiam meam, ne inueniat eos iusticia mea, que est stabilis sicut mons, ardens quasi ignis, horribilis quasi tonitruum, subita quasi arcus extensus ad sagittandum. **32** Ego moneo eos tripliciter. Primo sicut pater filios, ut reuertantur ad me, quia ego pater et creator eorum sum. **33** Reuertantur, et dabo eis patrimonium, quod paterno iure debetur eis! Reuertantur, quia, licet contemptus sum, attamen cum gaudio suscipiam eos et occurram eis cum caritate! **34** Secundo rogo eos sicut frater, ut recordentur vulnerum et operum meorum. Reuertantur, et suscipiam eos quasi frater! **35** Tercio rogo ut dominus, ut reuertantur ad dominum suum, cui dederunt fidem, cui et obsequium tenentur et iuramento se obligauerunt.

36 Ergo, o milites, reuertimini ad me, patrem vestrum, qui cum caritate educaui vos! Considerate me, fratrem vestrum, pro vobis et vobiscum factum similem! **37** Reuertimini ad me, pium dominum! In honestas quippe magna est alii domino dare fidem, alii obsequium. **38** Vos enim michi dedistis fidem, quod defenderetis Ecclesiam meam, quod miseris subueniretis. **39** Et ecce inimico meo datis obsequium, deponitis eciam vexillum meum et vexillum inimici mei erigitis!

40 Ergo, o milites, redite ad me cum vera humilitate, qui a me per superbiam discessistis! Si durum videtur vobis aliquid pro me pati, considerate, quid ego feci pro vobis! **41** Ego iui causa vestri sanguinolentis pedibus ad crucem, ego habui manus et pedes pro vobis perforatos, ego nulli membro meo pepercii pro vobis. Et tamen hoc totum negligitis recedendo a me. **42** Redite ergo, et dabo vobis in auxilium tria! Primo fortitudinem contra inimicos corporales et spirituales. **43** Secundo magnanimitatem, qua nichil nisi me timebitis, qua delectabile videbitur vobis pro me laborare. **44** Tercio dabo vobis sapienciam, qua intelligetis veram fidem et Dei voluntatem. **45** Ergo redite et state viriliter! Ego enim, qui moneo vos, sum ille, cui angeli seruunt, qui patres vestros obedientes liberaui, inobedientes iudicaui et superbos humiliaui. **46** Ego fui primus in bello, primus in passione. Sequimini ergo me, ne sicut cera ab igne dissoluamini! **47** Cur rescinditis promissionem vestram? Cur iuramentum contempnitis? **48** Numquid ego minor et indignior sum amico vestro temporali, cui si datis fidem soluitis? Michi autem, datori vite et honoris, conseruatori sanitatis, non redditis promissum.

49 Propterea, boni milites, soluite promissum et, si non sufficitis opere, saltem conamini voluntate! Ego enim compaciens seruituti vestre, qua dyabolus opprimit vos, voluntatem recipiam pro opere. **50** Si reditis ad me cum caritate, laborate pro fide Ecclesie mee, et ego cum omni exercitu meo quasi pius pater occurram vobis! Daboque vobis pro premio quinque bona: **51** Primo honor eternus numquam recedet de auditu vestro; **52** secundo facies et gloria Dei numquam recedet a visione vestra; **53** tertio laus Dei numquam recedet de ore vestro; **54** quarto anima vestra habebit omnia, que desiderabit et nichil aliud desiderabit nisi quod habet; **55** quinto numquam separabimini a Deo vestro, sed sine fine durabit gaudium, sine fine in gaudio viuet vita vestra.

56 Ecce, milites, talis erit retribucio, si fidem meam defenditis et pro honore meo plus quam pro vestro laboratis! **57** Recordamini, si intellectus est vobis, quia ego paciens in vos sum et quod infertis michi talem contumeliam, qualem vos ipsi a vestris non vultis pati. **58** Sed licet omnia ex potentia mea possum et licet iusticia mea clamat super vos vindictam, adhuc tamen misericordia mea, que est in sapiencia et bonitate, parcit vobis. **59** Propterea querite misericordiam! Ex caritate enim prebeo ea, ad que rogari humiliter deberem."

Verba potencie Christi ad sponsam contra huius temporis milites et de forma tenenda in militibus procreandis et quomodo Deus talibus robur et auxilium in agendis prestat et administrat. Capitulum XIII.

1 "Ego sum cum Patre et Spiritu unus Deus, trinus in personis. Unus non separatur ab alio nec diuiditur, sed Pater est in Filio et Spiritu et Filius in Patre et Spiritu et Spiritus in ambobus. **2** Deitas misit verbum suum Marie virginis per angelum suum Gabrielem. Nichilominus tamen idem Deus mittens et missus a se ipso erat cum angelo, erat in Gabriele et ante Gabrielem in Virgine. **3** Dicto autem verbo ab angelo verbum factum est caro in Virgine. Hoc verbum ego sum, qui loquor tecum. **4** Pater misit me per se ipsum cum Spiritu sancto in ventrem Virginis non sic, quod angeli caruerint visione et presencia Dei, sed ego Filius, qui fui cum Patre et Spiritu sancto in ventre virgineo, idem eram in celo cum Patre et Spiritu in visione angelorum, omnia gubernans omniaque sustentans, licet humanitas mea a me solo Filio assumpta requieuit in ventre Marie. **5** Ego igitur, in deitate et humanitate unus Deus, ad ostensionem caritatis mee et in robur fidei sancte non dedignor loqui tecum. **6** Et licet humanitas mea videatur esse iuxta te et loqui tecum, verisimilius est tamen, quod anima tua et conscientia tua mecum est et in me. Nichil enim michi impossibile est et nichil difficile in celo et in terra. **7** Ego quippe sum quasi rex potens, qui cum exercitu suo veniens ad ciuitatem omnia loca implet, omnia occupat. Sic gracia mea omnia membra tua replet,

omnia fortificat. **8** Ego denique sum in te et extra te. Ego quamuis loquar tecum, idem tamen sum in gloria. **9** Quid michi difficile est, qui potencia mea omnia sustento, sapiencia mea omnia dispono, virtuositate mea omnia supero? **10** Ego igitur, cum Patre et Spiritu sancto sine principio et sine fine unus Deus, qui pro salute hominum in humanitate assumpta, deitate illesa permanente, vere passus sum, resurrexi et ascendi, nunc veraciter loquor tecum.

11 Dixi tibi prius de milicia, que michi quondam gratissima fuit, quod vinculo caritatis michi colligata fuit. **12** Nam voto suo obligabant se dare carnem suam pro carne mea, sanguinem suum pro sanguine meo. Ideo et ego consensi in eos, coniunxi eos michi in unum vinculum et in unam societatem. **13** Sed nunc conqueror super ipsos milites, qui tenerentur esse mei, quod auersi sunt. **14** Ego quippe sum creator eorum et redemptor, ego et auxiliator. **15** Ego creavi eis corpus et membra. Ego omnia, que in mundo sunt, ad utilitatem eorum feci. **16** Ego redemi eos sanguine meo. Ego emi eis hereditatem eternam passione mea. **17** Ego in omnibus periculis defendo eos. Ego do eis fortitudinem ad agendum et laborandum. **18** Nunc autem ipsi auersi sunt a me. Ducunt pro nichilo passionem meam, negligunt verba mea, quibus anima eorum delectari et pasci deberet. **19** Contempnunt me eligentes animo et toto affectu carnem suam dare et lacerare pro laude hominum, sanguinem suum fundere propter explecionem cupiditatis sue, libenter mori propter mundana et verba dyabolica et inania. **20** Adhuc tamen, licet sic auersi sunt, misericordia mea et iusticia mea est in eos. Nam per misericordiam custodio eos, ne tradantur dyabolo. **21** Per iusticiam tolero eos pacienter et, si adhuc reuerti voluerint, ego gaudenter suscipio eos et occurro eis letanter.

22 Dic ergo illi, qui miliciam suam ad me conuertere vellet, quod sub hac forma michi denuo placere posset. **23** Quicumque enim miles fieri vellet, deberet cum equo suo et apparatu ad cimiterium procedere et ibi eum relinquere, quia equus non est creatus ad superbiam hominum sed ad vite utilitatem et defensionem et inimicorum Dei expugnationem. **24** Deinde assumat mantellum, cuius ligatura ponenda est super frontem, ut, sicut dyaconus assumit stolam in signum obediencie et pacientie diuine, sic ipse sumit mantellum et ligaturam ponit super frontem in signum professe milicie et obediencie pro crucis Christi defensione assumende. **25** Quem eciam precedat vexillum potestatis secularis, ut sciat se potestati mundane in omnibus, que non sunt contra Deum, debere obedire. **26** Ingresso autem eo cimiterium clerici occurrant ei cum vexillo ecclesie, in quo depicta sit passio Christi et vulnera eius in signum, quod Ecclesiam Dei defendere debet et eius prelatis eciam obtemperare. **27** Cum autem ingreditur ecclesiam, vexillum temporalis potestatis foras ecclesiam remaneat et vexillum Dei precedat eum in ecclesiam in signum, quod diuina potestas precedit secularem et quod de spiritualibus plus curandum est quam de temporalibus. **28** Dicta vero missa usque ad 'Agnus Dei' prelatus, scilicet rex vel alias, procedat ad militem circa altare et dicat: 'Vis tu fieri miles?' **29** Quo respondente 'Volo' subiungat: 'Promitte', inquit, 'Deo et michi te fidem sancte Ecclesie defendere et prelatis eius in omnibus, que ad Deum sunt, obedire!' **30** Quo respondente 'Volo' tradat gladium in manus eius et dicat: 'Ecce trado tibi gladium in manus tuas, ut non parcas vite tue pro Ecclesia Dei, ut inimicos Dei deprimas et ut amicos Dei defendas.' **31** Postea committat clipeum et dicat: 'Ecce do tibi clipeum, ut defendas te contra inimicos Dei, ut viduis et orphanis tribuas auxilium, ut honorem Dei in omnibus augmentes.' **32** Postea manum imponat collo eius dicens: 'Ecce obediencie subiectus es et potestati. Vide ergo, ut, sicut ligasti te professione, sic impleas et opere!' **33** Post hec mantellum adaptet sibi et ligaturam, ut cotidie habeat in memoria, quid Deo vouit et quod ad Ecclesie Dei defensionem plus quam alii se professione in facie Ecclesie obligavit.

34 Hiis ergo peractis et dicto 'Agnus Dei' sacerdos, qui missam celebrat, tradat sibi corpus meum, ut fidem sancte Ecclesie defendat. **35** Ego ero in eo et ipse in me. Ego ministrabo ei auxilium et robur et incendam eum flamma caritatis mee, ut nichil velit nisi me, nichil timeat nisi me, Deum suum. **36** Quod si forte fuerit

in campo et ibi pro honore meo et fide mea defendenda sumpserit miliciam, nichilominus ei prodest, si intencio fuerit recta. **37** Ego denique in omni loco sum per potentiam meam, et omnes michi intencione recta et voluntate bona placere possunt. **38** Ego autem sum caritas, et nullus ad me venire potest nisi qui habet caritatem. Ideo nullis precipio hoc facere, quia tunc seruirent michi ex timore. **39** Sed quicumque vellent sic assumere miliciam, michi placere possent. Dignum quippe esset, ut, sicut per superbiam a vera professione milicie excessum est, sic per humilitatem ad vere milicie cultum se reuerti velle ostenderent.”

<Declaracio>.

40 Hic miles creditur fuisse dominus Karolus, filius sancte Birgitte.

Qualiter Christus per fabrum et Dei verba per aurum designantur et quomodo talia verba caritatem diuinam, conscientiam rectam, sensus ordinatos habentibus sunt proponenda et quomodo Dei predicatores debent esse solliciti et non desidiosi ad aurum vendendum, idest ad verbum Dei proponendum. Capitulum XIV.

1 ”Ego sum sicut bonus aurifaber. Qui mittens famulum suum ad vendendum aurum suum per terram dicit ei: ‘Tria debes facere. **2** Primo non debes aliquibus committere aurum meum nisi eis, qui serenos et lucidos habent oculos. **3** Secundo non committas eis, qui nullam habent conscientiam. **4** Tercio habe aurum meum venale pro decem talentis ponderis duplicati! **5** Qui enim bis ponderare renuerit, aurum meum non habebit. **6** Sed inimicus meus tria habet aduersum te, pro quibus tibi cauendum est. **7** Primo vult te facere desidiosum in proferendo et demonstrando aurum meum. **8** Secundo desiderat plantare et inserere aliquid viciosum in aurum meum, ut videntes et probantes aurum credant aurum meum esse lutum et putredinem. **9** Tercio ponit in os amicorum suorum, quomodo resistant tibi et dicant constanter aurum meum non esse bonum.’

10 Ecce ego sum quasi aurifex iste. Ego omnia, que sunt in celo et in terra, fabricaui, non malleis et instrumentis sed potentia mea et virtute. **11** Et omnia, quecumque sunt et fuerunt et futura sunt, omnia in presciencia mea sunt. **12** Nam non minimus vermis et non minimum granum sine me est neque sine me subsistere potest, nec tam minimum, quod se a presciencia mea occultare possit, quia omnia a me sunt et omnia in presciencia mea. **13** Inter omnia tamen, que feci, verba mea, que proprio ore locutus sum, digniora sunt, tamquam aurum ceteris metallis. **14** Ideo famulis meis, cum quibus aurum meum per terras mitto, tria facienda sunt. **15** Primo ut non committant aurum meum illis, qui non habent lucidos et claros oculos. **16** Sed potes querere: ‘Quid sibi hoc vult habere clarum visum?’ **17** Utique ille clare videt, qui diuinam sapienciam habet cum diuina caritate. Sed quomodo hoc cognoscendum est? **18** Certe hoc manifeste patet. Ille enim, qui secundum hoc, quod intelligit, viuit, qui se a mundi vanitate et curiositate subtrahit, qui nichil sic querit sicut Deum suum, hic habet clarum visum, huic committendum est aurum meum. **19** Ille autem, qui habet scienciam sed non diuinam caritatem in operando, quod intelligit, ipse est similis ceco, qui videtur quidem habere oculos ad Deum sed non habet, quia vertit eos ad mundum et occiput ad Deum. **20** Secundo non est committendum aurum meum ei, qui non habet conscientiam. **21** Quis habet conscientiam nisi qui disponit temporalia ista et caduca in eterna, qui animum habet in celo et corpus in terra, qui cotidie ruminat, quomodo exeat de terra et respondeat Deo de factis suis? Huic committatur aurum meum. **22** Tercio debet habere aurum meum venale pro decem talentis bis ponderatis.

23 Quid notatur in statera, in qua ponderatur aurum, nisi conscientia? Quid vero manus, que ponderare debent, nisi voluntas bona et desiderium? Quid autem sunt pondera imponenda nisi corporalia et spiritualia opera?

24 Aurum ergo meum, idest verba mea, qui emere et habere voluerit, debet in conscientie sue statera examinare et considerare cum bona voluntate, ut reddantur pro eo decem talenta ad voluntatem meam bene ponderata. **25** Primum talentum est visus hominis modestus, ut homo cogitet, quantum distat inter corporalem visum et spiritualem, que utilitas in pulchritudine et visu corporali, que honestas in pulchritudine et honore angelorum et virtutum celestium, que vincunt splendore omnia celi sydera, que dulcedo et quale animi gaudium in mandatis Dei et eius honore. **26** Hoc talentum, corporalis scilicet visus et spiritualis, quod est in mandatis Dei et pudicicia, non equa lance appendi debent, sed spiritualis visus corporali preponderet et plus in statera appendet, quia ad anime utilitatem et corporis necessitatem aperiendi sunt oculi, ad inania vero et scurrilia sunt claudendi.

27 Secundum talentum est auditus bonus. Consideret ergo homo, ad quid valent verba scurrilia, ad quid inepta et risoria. Certe non sunt nisi vanitas et quasi aer pertransiens. **28** Ergo audire debet homo laudes Dei et cantica eius, audire debet facta et dicta sanctorum meorum, audire debet necessaria anime et corporis in bono edificatoria. **29** Iste auditus plus appendet in statera quam auditus scurrilium. Iste bonus auditus, cum alio appensus in statera, totum pondus contineat, alias vero quasi vacuus ascendens euanescat.

30 Tercium talentum est talentum oris. Appendat enim homo in statera conscientie sue verba edificatoria et modesta, quantum sint utilia et honesta. **31** Attendat eciam verba vana et ociosa, quantum sint nocua et inutilia, et dimittat verba vana et diligat bona.

32 Quartum talentum est gustus. Quid enim est gustus mundi nisi miseria? In principio ingressioneis labor, in progressu dolor et amaritudo in fine. **33** Ergo appendat homo diligenter spiritualem gustum cum temporali, et spiritualis temporali gustui preponderet. Qui spiritualis gustus numquam terminatur, numquam tedium habetur, numquam minuitur. **34** Hic gustus incipit in presenti in refrenacione voluptatis et modesta dispositione vite sue et durat sine fine in celis in fruicione et dulcedine Dei.

35 Quintum talentum est talentum tactus. Appendat enim homo, quantam sollicitudinem et miseriam sentit ex corpore, quantam inquietudinem a mundo, quantam contrarietatem a proximo, et ubique sentit miseriam. **36** Appendat eciam, qualis requies est anime et animi bene disciplinati, quanta dulcedo non sollicitari in superuacuis, et tunc ubique senciet consolacionem. **37** Qui ergo bene ponderare voluerit, apponat ad stateram tactum spiritualem et corporalem, et sic appendat, ut spiritualis plus appendat et ponderet quam corporalis. **38** Hic tactus spiritualis incipit et progreditur in pacientia contrariarum rerum, in perseverancia mandatorum Dei, et durat eternaliter in gaudio et pace quietissima. **39** Qui autem plus appendit corporalem requiem et tactum mundi et eius gaudii quam eterni, non est dignus tangere aurum meum nec frui leticia mea.

40 Sextum talentum est opus hominis. Appendat homo diligenter in conscientia sua spirituale opus et corporale. **41** Illud dicit ad celestia et istud ad mundum, illud ad eternam vitam sine supplicio, istud vero ad tribulacionem magnam cum supplicio. **42** Sed qui aurum meum desiderat, appendat plus spirituale opus, quod est in dilectione mea et ad honorem meum, quam corporale opus, quia spiritualia manent, corporalia autem casura sunt.

43 Septimum talentum est disposicio temporis. Aliud tempus accepit homo ad solam spiritualium rerum vacacionem, aliud ad corporis necessitatem, sine qua non potest esse (quod et inter spiritualia, si rationabiliter fit, reputatur), aliud ad corporalis utilitatis exercitacionem. **44** Et quia homo rationem temporis sui sicut et operum redditurus est, ideo tempori corporalis laboris spirituale tempus preponderet, et sic disponatur tempus, ut spiritualia plus reputentur quam temporalia, et nullum tempus sine discussione et equa iusticie libracione pertransire permittatur.

45 Octauum talentum est equa dispensacio temporalium bonorum concessorum, ut, qui diues est, in quantum facultas se extendit, cum caritate diuina pauperibus tribuat. **46** Sed potes querere: 'Quid debet dare pauper, qui nichil habet?' **47** Utique habeat voluntatem et consideret sic secum: 'Si haberem aliquid, libens largiter darem.' **48** Hec enim voluntas reputatur ei pro opere. Si autem talis fuerit voluntas pauperis, quod libenter haberet temporalia sicut et ceteri, non tamen vellet dare pauperibus nisi modicum et abiecciora, talis voluntas reputatur ei pro modico opere. **49** Ergo homo diues, qui habet bona, faciat opere cum caritate. Qui vero non habet, habeat voluntatem dandi, et proderit ei. **50** Qui autem plus appendit temporale quam spirituale, qui unum denarium dat michi et centum mundo et sibi mille, non eque mensurat, et talis mensurator indignus est habere aurum meum. **51** Quia ego, qui omnia dedi et omnia possum auferre, digniori parte dignus sum. Temporalia autem ad utilitatem hominis et necessitatem creata sunt, non ad superfluitatem.

52 Nonum talentum est diligens consideracio temporis sui transacti et preteriti. Consideret enim homo facta sua, qualia fuerunt et quanta et quomodo emenda et quam digne. **53** Attendat eciam, ne forte opera bona minora fuerunt quam mala. Quod si inueniat mala sua maiora quam bona, assumat sibi voluntatem perfectam emendandi et contritionem veram de commissis. **54** Et hec, si vera fuerit et firma, plus ponderabit coram Deo quam omnia peccata sua.

55 Decimum talentum est consideracio et disposicio temporis sui futuri. **56** Si homo talem habet intencionem, quod nichil vult diligere nisi que Dei sunt, nichil desiderare nisi que placere nouerit Deo, omnem tribulacionem libenter et pacienter amplecti, eciam inferni penas, si Deus haberet inde consolacionem et si sic esset voluntas Dei, ferre, hoc talentum omnia excedit. **57** Per hoc talentum omnia <ad>veniencia facile vincuntur. Quicunque ergo hec decem talenta dederit, ipse habebit aurum meum.

58 Sed eos, qui aurum meum deferent, tripliciter, sicut dixi, vult impedire inimicus. Primo vult facere eos desidiosos. **59** Alia enim est desidia corporalis, alia spiritualis. Corporalis est, quando corpus attediatur ad laborandum, ad surgendum, et huiusmodi. **60** Spiritualis desidia est, quando homo spiritualis, senciens spiritus mei dulcedinem et graciam, magis vult in illa dulcedine quiescere solus quam ad alios egredi et alios secum iuuare, ut et illi de dulcedine sua participarent. **61** Numquid non Petrus et Paulus habuerunt dulcedinem copiosam spiritus mei? Qui, si michi fuisset acceptabile, magis cum dulcedine interna, quam habuerunt, in profundissimo loco terre iacuissent absconditi quam exissent in mundum. **62** Attamen ut alii fierent participes dulcedinis eorum et alios secum edificare possent, magis elegerunt egredi ad aliorum profectum et maiorem eorum gloriam quam soli esse et nulos de gracia eis data confortare. **63** Sic eciam amici mei nunc, quamuis libenter soli vellent esse et letari de dulcedine, quam habent, attamen egredi debent, ut et alii participes fiant gaudii eorum. **64** Sicut enim temporalibus aliquis habundans non utitur eis solus sed committit aliis, sic eciam verba et gracia mea non occultari debent sed diffundi in alios, ut et ipsi edificantur.

65 Tribus enim generibus hominum amici mei succurrere possunt. Primo dampnatis, secundo peccatoribus, scilicet cadentibus in peccata et resurgentibus, tertio bonis stantibus. **66** Sed potes querere, quomodo quis potest succurrere dampnatis, cum indigni sunt gracia et impossibile est eos redire ad graciam. **67** Ad quod ego volo respondere tibi per exemplum. **68** Sicut enim, si in profundissimum aliquod precipitum essent infinite fosse, per quas, qui in profundum caderet, necesse esset, ut descenderet, si autem aliquis obstrueret aliquam illarum fossarum, non tam profunde propter obstrukcionem descenderet sicut aliter, si nulla fossa esset obstructa, sic eciam in dampnatis est. **69** Quamuis enim ex iusticia mea et malicia eorum indurata prefinito tempore et prescito dampnandi sunt, leuius tamen supplicium fieret eis, si per aliquem a malis aliquibus refrenarentur et incitarentur ad aliquod bonum.

70 Ecce quam misericors sum eciam in dampnatos! Quibus et si misericordia diceret parcere, iusticia tamen et eorum malicia contradicit. **71** Secundo possunt succurrere cadentibus et resurgentibus, si docent eos, quomodo resurgent, precautos faciunt contra casum, instruunt, quomodo proficiant et cupiditatibus suis resistant. **72** Tercio proficere possunt iustis et perfectis. Numquid non et ipsi cadunt? **73** Utique, sed ad maiorem eorum gloriam et dyaboli confusionem. Sicut enim miles in bello leuiter percussus amplius ex percussione excitatur et ad bellum forcitus exacuatur, sic electi mei ex temptatione dyabolice aduersitatis amplius excitantur ad spiritualem laborem et humilitatem et eo feruencius proficiunt ad coronam glorie acquirendam. **74** Ergo verba mea ab amicis meis non occultentur, quia audita gracia mea amplius ad deuocionem meam possunt excitari.

75 De secundo, scilicet quod inimicus meus laborat, ut aurum meum videatur lutum per aliquam infidelitatem, ideo, cum transcribuntur aliqua, adducat scriptor in testimonium duos fideles vel unum probate conscientie, et examinato ab eo, quod scriptum est, transmittat ad quos velit, ne forte, si absque testimonio in manus inimicorum venerit, addatur eis aliquid falsitatis, ex quo verba veritatis apud simplices possint denigrari.

76 De tertio, scilicet quod inimicus meus ponit in os amicorum suorum, ut resistatur auro meo, ideo dicant amici mei contradicentibus ista verba: **77** 'In auro verborum ostensorum non sunt nisi quasi tria verba. Docent enim timere recte, diligere pie, desiderare celestia sapienter. **78** Probate verba et videte et, si aliter inueneritis, contradicite!'''

*Verba Christi ad sponsam de via paradisi, in sui aduentu aperta, et de ardenti eius caritate nobis ostensa,
multas passiones a sui natuitate usque ad mortem pro nobis sustinendo, et qualiter nunc via inferni est
lata et via paradisi stricta. Capitulum XV.*

1 "Miraris, quare talia loquor et tanta ostendo tibi. Numquid propter te solam? Non utique, sed propter aliorum edificationem et salutem. **2** Nam mundus erat quasi quedam solitudo, in qua non erat nisi una via, que deducebat ad maximam abyssum. **3** In abyso autem duo erant receptacula. Unum erat sic profundum, quod nullum habebat sub se fundum, in quod qui descenderunt numquam ascenderunt. **4** Secundum vero non erat sic profundum ut primum nec ita horribile, sed quicumque descenderunt in ipsum, sperabant sibi auxilium, desiderium et dilacionem quandam habebant, non miseriam, tenebras experiebantur, non penas. **5** Isti autem, qui habitabant in isto secundo receptaculo, clamabant cotidie ad ciuitatem quandam optimam prope iacentem, que plena erat omnibus bonis et delectacionibus. **6** Clamabant autem valenter, quia sciebant viam ad ciuitatem, qua irent. Sed solitudo et silua sic arta et densa erat, quod pre densitate nec

transmigrare nec incedere valebant, sed nec fortitudinem ad preparandam viam habebant. **7** Sed quid clamabant? Vere clamabant sic: **8** 'O Deus, veni et da auxilium, monstra viam et illumina nos, qui expectamus te! In alio autem non est salus nobis nisi in te.' **9** Iste clamor ascendebat in celum ad aures meas, iste traxit me ad misericordiam. Ego autem, mitigatus clamore tanto, veni in solitudinem sicut peregrinus.

10 Sed antequam incedere et laborare inciperem, vox ante me sonuit, que dixit: 'Securis iam posita est ad arborem.' **11** Que fuit vox ista nisi Iohannes Baptista? Qui ante me in heremo missus clamabat: 'Securis ad arborem posita est', quasi diceret: **12** 'Homo iam paratus sit, quia iam securis parata est, et venit ille quasi viam ad ciuitatem preparando et extirpabit omnia obstacula.' **13** Ego autem veniens ab ortu solis usque ad occasum laboravi, idest ab incarnatione mea usque ad mortem crucis operatus fui salutem hominis. **14** Fugiens in principio ingressione in solitudinem istam propter inimicos meos, scilicet Herodem consequentem, temptatus a dyabolo fui et persecuciones passus ab hominibus. **15** Deinde labores multiplices passus comedebam et bibebam et alias nature necessitates expleui absque peccato ad fidei instrucionem et vere nature assumpte ostensionem. **16** Deinde viam ad ciuitatem, scilicet celestem, preparans et contraria suborta extirpans, aculei et spine acutissime pupugerunt latus meum, et acerbi clavi vulnerauerunt manus et pedes meos. **17** Dentes mei et gene mee male contracte sunt. Ego autem pacienter sufferens non retrocessi, sed eo feruencius processi tamquam animal, quod inedia confectum, cum conspicit hominem lanceam contra se tendentem, irruit in lanceam propter desiderium viri. **18** Et quo plus homo lanceam in viscera animalis intruserit, tanto plus animal propter desiderium hominis se ipsum econtra intrudit in lanceam, donec viscera et totum corpus perfodiuntur. **19** Sic ego tanta caritate arsi ad animam, quod, cum viderem omnia acerbissima tormenta et experirer, quo magis homo voluntarius fuit ad occidendum me, tanto plus ardencior eram ad paciendum propter salutem animarum.

20 Sic ergo ego in solitudine ista mundi in labore et miseria processi et preparau viam in sanguine et sudore meo. **21** Qui quidem mundus bene solitudo dici potest, quia ab eo omnis virtus deficiebat et solitudo viciorum remanebat. **22** In quo non erat nisi una via, per quam omnes ad infernum descendebant, sed dampnati ad dampnacionem, boni autem ad tenebras solas. **23** Longum igitur future saluacionis desiderium misericorditer audiens veni sicut peregrinus ad laborandum et incognitus secundum potentiam et deitatem meam preparau viam, que dicit ad celum. **24** Hanc viam amici mei videntes et difficultates laboris mei et alacritatem animi considerantes, gaudentes secuti sunt multi et multo tempore. **25** Sed nunc vox immutata est, que clamabat: 'Estote parati!' **26** Via mea immutata est, et succreuerunt iterum fructecta et spineta cessaueruntque incedentes per eam. **27** Via autem inferni aperta est et lata, et transeunt per eam plurimi. **28** Attamen via mea ne esset omnino oblita et neglecta, pauci amici mei pre desiderio celestis patrie transeunt adhuc per eam quasi aues transmigrantes de rubro in rubum et quasi occulte et pre timore seruentes, quia per viam mundi transire omnibus iam videtur felicitas et gaudium.

29 Propterea quia via mea facta est arta et via mundi lata, clamo nunc in solitudine, idest in mundo, ad amicos meos, ut a via, que dicit ad celum, extirpent spinas et tribulos et proponant viam meam incedentibus. **30** Nam sicut scriptum est: 'Beati sunt, qui non viderunt me et crediderunt', similiter felices sunt illi, qui nunc credunt verbis meis et opere ea compleant. **31** Ego quippe sum quasi mater occurrentis filio suo erranti. Que in via porrigit ei lumen, ut videat iter, obuiat ei pre amore in via abbreviando viam eius et appropinquans amplectitur eum et gratulatur. **32** Sic ego omnibus reuertentibus ad me et amicis meis occurram cum caritate et illuminabo cor et animam eorum ad diuinam sapienciam. **33** Amplecti eos volo cum omni gloria et celesti curia, ubi non est celum subtus vel terra inferius sed Dei visio, ubi non cibus vel potus sed diuina delectacio. **34** Malis autem aperitur via ad infernum, in quem ingredientes numquam

ascendent. Carebunt enim gloria et leticia et implebuntur miseria et obprobrio sempiterno. **35** Ideo loquor verba ista et ostendo caritatem meam, ut reuertantur ad me, qui auersi sunt, et recognoscant me, creatorem suum, quem oblii sunt.”

Verba Christi ad sponsam, quare ei magis loquitur quam aliis ipsa melioribus, et de tribus a Christo sponse preceptis et de tribus prohibitis et de tribus permissis et de tribus consultis optimum documentum.

Capitulum XVI.

1 ”Mirantur multi, cur tecum loquor et non cum aliis, qui meliorem habent vitam et longiori tempore michi seruerunt. Quibus per exemplum respondeo: **2** Est dominus, qui habet plures vineas et in pluribus terrarum locis, et uniuscuiusque vinee vinum sapit de terra illa, in qua plantatum est. **3** Cum vero vinum expressum fuerit, dominus vinearum quandoque babit de vino mediocri et leuiori, et non de meliori. **4** Quod si forte aliquis videncium et astancium dixerit sic domino, cur sic voluerit facere, respondebit dominus, quia hoc vinum magis sapuit sibi et dulcius fuit tunc temporis. **5** Nec ideo dominus meliora vina effundit et contempnit, sed et ea ad honorem et utilitatem suam tempore congruo reseruat, unumquodque ad quod tunc est aptum. **6** Sic ego feci tibi. Ego multos habeo amicos, quorum vita dulcior est michi melle, delectabilior omni vino, lucidior in conspectu meo sole. **7** Attamen, quia michi sic placuit, elegi te in spiritum meum, non quia tu illis es melior aut eis comparanda vel meritis eorum dignior, sed quia sic volui, qui de insipientibus facio sapientes et de peccatoribus iustos, nec quia tecum talem graciam feci, ideo eos contemnō. **8** Sed magis eos ad aliam meam utilitatem et honorem, prout tunc iusticia exiget, reseruabo. **9** Ideo humilia te in omnibus, et non turberis nisi de peccatis tuis! Dilige omnes, eciam qui te odire videntur et tibi detrahere, quia ipsi maiores occasionem dant tibi ad coronam!

10 Tria precipio tibi facere. Tria precipio non facere. Tria permitto tibi facere. Tria consulο tibi facere. **11** Primo precipio tibi tria facere, scilicet nichil desiderare nisi Deum tuum, secundo abicere omnem superbiam et arroganciam, tertio odire in perpetuum carnis luxuriam. **12** Tria mando tibi non facere. Primo non diligere scilicet verba vana et scurrilia, secundo excessum ciborum et aliarum rerum superfluitatem, tertio fugere mundi gaudium et leuitatem. **13** Tria permitto tibi facere. Primo moderatum sompnum ad habitudinem bonam, secundo temperatas vigilias ad corporis exercitacionem, tertio moderatum cibum ad corporis fortitudinem et sustencionem. **14** Tria consulο tibi facere. Primo laborem in ieuniis et operibus bonis, quibus promittitur regnum celorum, secundo ea, que habes, ad honorem Dei disponere; tertio consulο tibi cogitare duo continue in corde tuo. **15** Primo, que feci pro te paciendo et moriendo pro te. Hec cogitacio excitat caritatem ad Deum. Secundo considera iusticiam meam et futurum iudicium; hec incutit timorem in animo.

16 Quartum demum est, quod et precipio et mando et consulο et permitto. Hoc est obedire, ut teneris. **17** Hoc precipio, quia Deus tuus sum. Hoc mando, ut non aliter facias, quia Dominus tuus sum. Hoc permitto tibi, quia sponsus tuus sum. Hoc et consulο, quia amicus tuus sum.”

*Verba Christi ad sponsam, qualiter deitas virtus veraciter est nuncupanda, et de multiplici supplantacione
hominis per dyabolum instigata et de multiplici remedio in hominis adiutorium per Christum addito et
suppleto. Capitulum XVII.*

1 Filius Dei loquebatur ad sponsam dicens: "Credis tu firmiter, quod hoc, quod presbiter tenet in manibus, sit corpus Dei?" **2** Respondit illa: "Ego credo firmiter, quod, sicut verbum missum Marie factum est in ventre eius caro et sanguis, sic hoc, quod nunc video in manibus sacerdotis, credo esse verum Deum et hominem." **3** Cui respondit Dominus: "Ego sum idem, qui loquor tecum, eternaliter in deitate manens et in utero Virginis humanatus, non tamen amittendo deitatem. **4** Deitas mea merito potest vocari virtus, quia in ipsa duo sunt, scilicet potentia potentissima, a qua est omnis potencia, secundo sapientia sapientissima, de qua et in qua est omnis sapiencia. **5** In ipsa quippe deitate omnia, quecumque sunt, rationabiliter et sapienter ordinata sunt. **6** Nam non est una titella in celo, que non est in ea et per eam constituta et preuisa. **7** Non unus athomus in terra, non una scintilla in inferno est, que eius constitutionem excedat et [quod] ab eius presciencia se possit occultare.

8 Numquid miraris, quare dixi 'unam titellam in celo'? Denique, sicut titella est perfeccio verbi glosati, sic verbum Dei perfeccio est omnium et in honore omnium institutum. **9** Quare autem dixi 'unum athomum in terra', nisi quia omnia terrena transitoria sunt? Nec tamen illa, quantumcumque modica, dispositionem et prouidenciam Dei excedunt. **10** Quare autem dixi 'unam scintillam in inferno', nisi quia in inferno nichil est nisi inuidia? **11** Sicut enim scintilla procedit ab igne, sic ab immundis spiritibus procedit omnis malicia et inuidia, ut semper ipsi et eorum fautores habeant inuidiam, caritatem vero nullam. **12** Ergo, quia in Deo est perfecta sciencia et potencia, ideo unumquodque sic dispositum est, ut potencie Dei nichil preualeat, nec irrationabiliter aliquid causari potest factum, sed omnia rationabiliter facta sunt, sicut unicuique rei congruebat. **13** Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari potest, virtutem suam maximam ostendit in creacione angelorum. **14** Creauit quippe eos sibi in honorem et sibi ipsis in delectacionem, ut et caritatem haberent et obedienciam: caritatem, qua nichil diligenter nisi Deum, obedienciam, qua Deo in omnibus obedirent. **15** Contra hec duo quidam angelorum male errantes male mouerunt voluntatem suam. Verterunt quippe voluntatem suam directe contra Deum ita, quod virtus erat eis odiosa et ideo, quod Deo erat contrarium, eis erat carum. **16** Et ex isto inordinato motu meruerunt casum, non quod deitas eum ipsis creasset, sed quia ipsi ex inordinacione sciencie sue sibi ipsis eundem casum procurauerunt.

17 Cum ergo vidisset Deus in exercitu suo celesti diminucionem ex proprio vicio ipsorum factam, fecit iterum deitas virtutem suam. **18** Nam creauit hominem cum corpore et anima. Eidem vero dedit duo bona, libertatem scilicet faciendi bona et omittendi mala, quia, cum plures angeli creari non deberent, iustum fuit, ut homo haberet libertatem ascendendi, si vellet, in dignitatem angelorum. **19** Anime eciam hominis Deus dedit duo bona, rationem scilicet discernendi contraria a contrariis et meliora ab optimis; secundo dedit fortitudinem in bono standi. **20** Cumque istam caritatem Dei ad hominem videret dyabolus, cogitauit secum ex inuidia sic: 'Ecce Deus quoddam nouum fecit, quod in locum nostrum potest ascendere et pugnando vincere, quod nos negligenter reliquimus! Si poterimus illud supplantare et decipere, deficiet a pugna, et tunc ad tantam dignitatem non ascendet.' **21** Deinde excogitato consilio depcionis deceperunt ex malicia sua primum hominem et in eum ex iusta permissione mea preualuerunt. **22** Sed quomodo vel quando victus est homo? Utique, quando dimisit virtutem et fecit prohibitum, quando magis delectabat promissio serpentis quam obediencia mea. **23** Propter hanc igitur inobedienciam non debebat in celo esse, quia contempsit Deum, nec eciam in inferno, quia anima succurrente ratione considerabat diligenter, quid fecit, et assumpsit sibi contricionem pro commisso. **24** Propterea virtuosus Deus considerans miseriam hominis

disposuit ei quasi unam custodiam et locum captiuitatis, ut in ea homo experiretur infirmitatem suam et lueret inobedientiam suam, donec mereretur ascendere ad dignitatem, quam amisit. **25** Hoc interim perpendens dyabolus voluit interficere animam hominis per ingratitudinem. **26** Et immittens stercus suum in animam sic obumbrabat intellectum illius, quod nec habebat Dei caritatem nec timorem. **27** Obluiiscebatur quippe iusticia Dei et iudicium eius contempnебatur, et ideo non timebatur et dabatur obliuioni bonitas Dei et donum eius. **28** Et ideo tunc non diligebatur, sed sic obumbrata conscientia miserabiliter stabant homines et miserabilius ceciderunt. **29** Quamuis vero sic dispositus erat homo, non tamen adhuc defuit virtus Dei; ymmo ostendit misericordiam suam et iusticiam. Misericordiam, quando ostendit hominibus, scilicet Ade et aliis bonis, quod tempore prefinito optinerent auxilium, per quod feruor et dileccio ad Deum excitabatur. **30** Ostendit et iusticiam, scilicet in diluvio sub Noe, per quod timor Dei cordibus infundebatur. **31** Post hec autem dyabolus non destitit adhuc iterum inquietare hominem, sed duabus maliciis aliis aggressus est eum. **32** Primo immisit ei perfidiam, secundo desperationem. **33** Perfidiam, ne crederent homines verbo Dei et ut mirabilia eius fato deputarent. **34** Desperationem vero, ne sperarent salutem et glorie amisse adepcionem.

35 Contra hec duo Deus virtuosus non destitit alia duo remedia opponere. Nam contra desperationem dedit spem, nominans nomen Abrahe et promittens ei se de semine eius nasciturum, qui ad amissam hereditatem reduceret eum et eius fidei sequaces. **36** Insuper et instituit prophetas, quibus modum redempcionis et loca et tempora passionis sue ostendit. **37** Contra secundum, scilicet contra perfidiam, loquebatur Deus Moysi et ostendit ei legem et voluntatem suam, et verba sua signis et operibus adimplebat. **38** Hiis impletis nec adhuc malicia dyaboli destitit, sed hominem ad deteriora semper instigans immisit cordi eius alia duo: primo scilicet cogitare legem nimis intolerabilem et inquietari in eius obseruacione; **39** secundo immisit ei, quod quasi incredibile videretur et nimis difficile ad credendum, quod Deus ex caritate vellet mori et ex caritate tribulari.

40 Contra hec duo Deus iterum alia duo remedia dedit. Primo, ne homo inquietaretur in legis duricia, misit filium suum in virginis uterum; qui assumpta humanitate compleuit ea, que legis erant, et deinde ipsam legem mitigauit. **41** Contra secundum ostendit Deus virtutem maximam. Nam mortuus est Creator pro creatura, iustus pro impiis; tribulatus est innocens usque ad ultimum punctum, sicut per prophetas fuit prophetatum. **42** Nec adhuc cessauit nequicia dyaboli, sed erexit se adhuc contra hominem alia duo immittendo. **43** Primo enim immisit cordi eius, ut verba mea haberentur pro derisione; secundo, ut opera mea quasi darentur obliuioni.

44 Contra hec duo virtus Dei iterum incipit demonstrare alia duo remedia. Primo, ut verba mea reducantur in honorem et opera mea ad imitacionem assumantur. **45** Ideo duxit te Deus in spiritum suum. Ostendit et per te voluntatem suam in terra sua amicis suis, specialiter propter duo. **46** Primo, ut misericordia Dei ostendatur, qua reuocari addiscant homines ad memoriam caritatis et passionis Dei; secundo, ut iusticia Dei attendatur et seueritas iudicii mei timeatur.

47 Propterea dic isti, ut, quia misericordia mea iam venit, proferat eam in lucem, ut discant homines querere misericordiam et de iudicio sibi precauere. **48** Insuper dic ei, quod, licet verba mea scripta sunt, tamen prius annunciar debent et sic venire in opera, sicut per exemplum intelligere poteris. **49** Cum Moyses accepturus esset legem, preparata erat virga et dolate tabule. Non tamen fecit miracula cum virga, antequam necessitas esset et tempus requirebat. **50** Veniente vero tempore acceptabili, tunc ostensa sunt miracula et verba mea operibus declarata. **51** Similiter et veniente noua lege primo corpus meum crescebat et proficiebat ad etatem debitam, deinde verba audiebantur. **52** Attamen, licet verba audiebantur, non tamen

habebant in se vim et fortitudinem, antequam venirent opera. Nec complectionem habebant, antequam per passionem compleui omnia, que de me erant prophetata. **53** Sic eciam nunc est. Nam licet verba caritatis mee scripta sunt et portari debeant in mundum, non tamen vim habere poterunt, antequam in lucem plenariam venerint.”

De tribus mirabilibus, que Christus fecit cum sponsa, et quomodo visio angelorum propter pulchritudinem et visio demonum propter turpitudinem est intolerabilis in sua essencia et quare dignatus est Christus talem viduam hospitari. Capitulum XVIII.

1 ”Tria mirabilia tecum feci. Vides enim spiritualibus oculis, tu eciam audis spiritualibus auribus, tu sentis corporali manu spiritum meum in tuo viuenti pectore. **2** Visio, quam vides, non videtur tibi, sicut est. Si enim videres spiritualem pulchritudinem angelorum et animarum sanctorum, corpus tuum non sufficeret videre sed rumperetur quasi vas corruptum et putridum propter gaudium anime ex visione. **3** Si autem videres demones, sicut sunt, aut viueres cum nimio dolore aut morereris per subitaneam mortem propter terribilem visionem eorum. **4** Ideo videntur tibi spiritualia quasi corporalia. Angeli et anime videntur tibi in similitudine hominum, qui habent vitam et animam, quia angeli viuunt cum spiritu suo. **5** Demones videntur tibi in forma, que est ad mortem et mortalitatem, ut in forma animalium vel aliarum creaturarum. **6** Illa enim habent mortalem spiritum, quia moriente carne moritur spiritus. Dyaboli autem non moriuntur in spiritu; sine fine enim moriuntur et sine fine viuunt. **7** Spiritualia vero verba cum similitudine tibi dicuntur; spiritus enim tuus aliter non potest capere. **8** Inter omnia autem est istud mirabilius, quod spiritus meus in corde tuo sentitur moueri.”

9 Tunc illa respondit: ”O Domine mi et filius Virginis, quare dignatus es tu tam vilem viduam hospitari, que sum pauper in omnibus bonis operibus et modica in conscientie intellectu et consumpta in omni peccato longiturnitate temporis?” **10** Cui ille respondit: ”Ego habeo tria. Primo ego possum pauperem ditare, insipientem et modici intellectus facere sufficientem et intelligentem. **11** Ego sufficio eciam antiquum renouare ad iuuentutem. Sicut enim Fenix comportat in vallem stipulas siccas, inter quas comportat stipulas unius arboris, que exterius est sicca ex natura et intus calida, in quam primo venit calor radii solis et incenditur, deinde ex ipsa omnes stipule accenduntur, sic oportet te congregare virtutes, quibus a peccatis renouari possis. **12** Inter quas unum lignum habere debes, quod interius est calidum et exterius siccum, idest cor, quod purum sit et siccatum exterius ab omni mundi delectacione et interius plenum omni caritate, ut nichil velis, nichil desideres nisi me. **13** Tunc in hoc primo veniet ignis caritatis mee, et sic incenderis omnibus virtutibus, in quibus concremata et a peccatis purgata resurges quasi ausi renouata, deposita pelle delectacionis.”

Verba Christi ad sponsam, qualiter Deus loquitur amicis suis per suos predicatorum et per tribulaciones, et quomodo Christus per apum possessorem et Ecclesia per alueolum et Christiani per apes designantur, et quare mali Christiani inter bonos permittuntur viuere. Capitulum XIX.

1 ”Ego sum Deus tuus. Spiritus meus introduxit te audire et videre et sentire: audire verba mea, videre similitudines, sentire spiritum meum cum gaudio et deuocione anime. **2** In me est omnis misericordia cum

iusticia et in iusticia misericordia. Ego sum sicut ille, qui videt amicos suos cadere a se in viam, ubi chaos horrendum est, de quo impossibile est consurgere. **3** Quibus amicis loquor per eos, qui habent intelligenciam Scripture. Loquor per flagella, precaueo eos de periculo eorum. **4** Sed ipsi econtra. Nam in inuium vadunt non curantes de verbis meis. Verba mea non sunt nisi quasi unum verbum. Hoc est: 'Conuertere, peccator, ad me! **5** Vadis enim periculose, quia insidie sunt in via et pro tenebris cordis tui a te, quales sunt, absconduntur.' **6** Hoc verbum meum contempnitur. Hec misericordia mea negligitur. **7** Verumptamen quamuis sic misericors sum, quod eos peccantes moneo, tamen ita sum iustus, quod, eciam si omnes angeli traherent eos, non possent conuerti, nisi ipsimet mouerint voluntatem suam ad bonum. **8** Si vero ipsi voluntatem ad me verterint et affectu in me consenserint, non omnes demones eos retinere possunt.

9 Est vermis quidam, qui dicitur apis, in possessione domini sui. Que apes regi suo, idest asilo, triplicem reuerenciam exhibent et ab eo triplicem virtutem habent. **10** Primo apes portant ad regem suum omnem dulcedinem, quam possunt acquirere. **11** Secundo stant ad nutum eius et exeunt, et quocumque volant et quocumque processerint, semper caritas et amor earum est ad regem. **12** Tercio sequuntur eum et stabiliter ei inherendo obsequuntur. **13** Pro hiis tribus habent apes a rege suo triplex bonum. Primo ex voce eius habent certum tempus exeundi et laborandi. **14** Secundo habent ab eo regimen et mutuam caritatem. Ex eius quippe presencia et principatu et ex eius caritate, quam ipse habet ad eas et ipse ad eum, unaqueque coniungitur caritate cum alia, unaqueque de alia et de alterius profectu gratulatur. **15** Tercio ex caritate mutua et gaudio capitum sui fructifere fiunt. Sicut enim pisces in mari colludendo emittunt oua sua, que cadencia in mare fructificant, sic apes ex caritate mutua et dilectione capitum sui et gaudio fructifere fiunt. **16** Ex quarum caritate mirabili virtute mea progreditur quoddam semen quasi mortuum, et bonitate mea habebit vitam.

17 Dominus vero, idest possessor apum, sollicitus de eis loquitur seruo suo: 'Serue', inquit, 'meus, michi videtur, quod apes mee quedam infirme sunt et nichil volantes.' **18** Respondit seruus: 'Huius infirmitatis non habeo intelligenciam, sed si sic est, quero, quomodo hoc possum scire.' **19** Respondit dominus: 'Ex tribus signis harum infirmitatem seu defectum colligere poteris. **20** Primo, quia inualide sunt et desides in volatu, et hoc prouenit, quia amiserunt regem suum, a quo firmitatem et solacium deberent habuisse. **21** Secundo, quia incertis et indispositis exeunt horis, et hoc est, quia de voce capitum nullum habent signum. **22** Tercio, quia nullam caritatem habent ad alueolum, ideo vacue redeunt saciantes se et nichil dulcedinis, unde in futurum viuant, reportantes. **23** Apes vero, que sunt sane et habiles, sunt stabiles in volatu et fortes. Tempus exeundi et redeundi habent debitum, reportantes ceram ad construendum loca sua, mel vero ad fruendum.' **24** Tunc respondit seruus domino: 'Si ergo inutiles sunt et infirme, cur diuicius pateris eas et non interficiuntur?' **25** Respondit dominus: 'Ego permitto eas viuere triplici de causa, quia triplex ferunt commodum, sed non virtute sua. **26** Primo occupant loca preparata, ne venientes bruci occupent loca vacua conturbando alias bonas apes. **27** Secundo, ut alie apes fructifere fiant ex malarum apum malicia fructuosiores et solliciosiores in laborando. **28** Quando enim fructifere apes vident infructuosas et malas apes laborare ad cupiditatis proprie solam replecionem, tanto fiunt in congregando ad regem suum solliciosores, quo malas viderint ad solam cupiditatem feruenciores. **29** Tercio valent bonis apibus ad mutuam defensionem. **30** Est enim vermis quidam volans solitus comedere apes; quem apes intelligentes venire omnes communiter odiant eum, et licet male apes impugnent et odiant eum propter inuidiam et pro vita sua tuenda, bone vero ex caritate et iusticia, mutuo tamen ad expugnationem vermis laborant bone apes et male. **31** Alioquin si omnes male apes subtracte essent, bone vero sole remanerent, cicius in eas vermis, quia pauciores essent, preualeret. Et ideo', inquit dominus, 'suffero apes inutiles. **32** Verumptamen cum autumpnus veniet, prouidebo apibus bonis et separabo eas a malis, que, si modo extra alueolum

relinquerentur, morerentur frigore. **33** Si vero intra fuerint et non congregauerint, fame periclitabuntur, quia neglexerunt congregare, cum potuerunt.'

34 Ego sum Deus, omnium creator, ego sum possessor et dominus apum istarum. **35** Ego ex intima caritate et sanguine meo fundaui michi alueolum apum, idest sanctam Ecclesiam, in qua Christiani per unitatem fidei et mutue dilectionis congregari deberent et morari. **36** Horum loca sunt eorum corda, in quibus dulcedo cogitationum bonarum et affectionum habitare deberet; **37** que trahi deberet ex consideracione caritatis mee in creando et ex redempcione mea et pacienza in supportando et ex misericordia mea in reuocando seu renouando. **38** In hoc alueolo, scilicet sancte Ecclesie, duo sunt genera hominum tamquam duo genera apum. **39** Primi sunt mali Christiani, qui non congregant michi sed sibi ipsis, qui vacui redeunt et nesciunt caput, qui stimulum habent pro dulcedine, cupiditatem pro caritate. **40** Bone vero apes boni Christiani sunt. Hii exhibent michi triplicem reuerenciam. **41** Primo habent me pro suo capite et domino offerentes michi mel dulcedinis, idest opera caritatis, que michi sunt suauiora et sibi ipsis utiliora. **42** Secundo stant ad voluntatem meam: horum voluntas est secundum voluntatem meam, cogitacio tota ad meam passionem, operacio tota ad meum honorem. **43** Tercio sequuntur me, idest obediunt michi in omnibus, ubicumque fuerint, siue extra siue intra, siue in tribulacione siue in leticia; semper cor eorum est cum corde meo. **44** Ideo triplicem virtutem habent a me. **45** Primo ex voce virtutis et inspiracionis mee tempus debitum et certum habent, scilicet noctem tempore noctis et lucem tempore lucis. **46** Necnon et noctem mutant in lucem, idest gaudium mundi in eternum gaudium, et gaudium casurum in perpetuam stabilitatem. **47** Hii in omnibus sunt racionales, quia presentibus utuntur ad necessitatem, stabiles in aduersitatibus, cauti in prosperitate, moderati in cura carnis, solliciti et circumspecti in agendis. **48** Secundo sicut bone apes mutuo habent caritatem, ita et ipsi omnes unum cor habent ad me et proximum diligunt tamquam se, me autem super omnia et super se ipsos. **49** Tercio fiunt a me fructiferi. Quid vero est fructificare nisi Spiritum meum sanctum habere et eo impleri? **50** Quicumque enim eum non habet et qui eius caret dulcedine, infructuosus est et inutilis; ipse cadit et annichilatur. **51** Spiritus vero sanctus accedit illum, quem inhabitat, caritate diuina, aperit intelligentie sensum, extirpat superbiam et incontinenciam, excitat mentem ad Dei honorem mundique contemptum.

52 Hunc Spiritum apes infructifere nesciunt, et ideo contempnunt regimen, refugunt unitatem et caritatis societatem. **53** Vacue sunt in bonis operibus, mutant lucem in tenebras, consolacionem in luctum, gaudium in dolorem. **54** Verumptamen propter tria pacior eas viuere. **55** Primo, ne in spacia preparata ingrediantur bruci, idest infideles. Si enim mali homines insimul subtraherentur, pauci remanerent boni, propter quorum paucitatem infideles, quia plures sunt, ingredierentur ad eos et cohabitantes eis nimium molestarent. **56** Secundo tolerantur ad bonorum probacionem. Ex malicia quippe malorum probatur bonorum constancia. Nam in aduersitate ostenditur, quantum quisque paciens est, in prosperitate vero, quantum quisque constans est et moderatus. **57** Quia ergo via quandoque subrepunt iustis et virtutes frequenter extollunt, ideo permittuntur mali viuere cum bonis, ne boni dissoluantur nimia leticia vel dormitent accidia et ut frequenter habeant ad Deum oculos. **58** Ubi enim minor est pugna, minor datur et merces. **59** Tercio tolerantur ad auxilium, ne gentiles vel inimici alii infideles noceant sed timeant magis, quo plures fuerint, qui videntur boni. **60** Et sicut boni resistunt malis ex iusticia cum diuina caritate, sic et mali pro sola vita tuenda et ira Dei vitanda. **61** Et sic omnes mali et boni adiuuant se adiuvicem, ut mali propter bonos supportentur, boni vero propter maliciam malorum sublimius coronentur.

62 Custodes vero apum hii sunt prelati ecclesiarum et principes terre, boni siue mali. **63** Ad bonos vero custodes loquor, quos et ego Deus et custos eorum ammoneo, ut custodiant apes meas. **64** Considerent enim exitum earum et ingressum. Attendant, si fuerint infirme vel sane. **65** Quod si forte nesciunt

discernere, ecce ex tribus signis dico eis, quomodo cognoscant. **66** Hee apes inutiles sunt, que sunt segnes in volatu, indisposite tempore, vacue in apportacione dulcedinis. **67** Segnes in volatu sunt illi, qui plus curant de temporalibus quam de eternis, plus timent mortem corporis quam anime, qui sic loquitur secum dicens: **68** 'Cur debo habere inquietudinem, cum possim habere quietem? Cur debo me dare morti, cum possim viuere?', non considerantes miseri, quod ego, rex glorie potentissimus, assumpsi in me impotenciam. **69** Sum eciam quietissimus et ipsa vera quies, et tamen assumpsi pro eis inquietudinem, quos et morte mea liberaui. **70** Illi vero indispositi sunt tempore, quorum affectus querit terrena, quorum locucio ad scurrilia, quorum opus ad propriam utilitatem, quorum tempus tale est, quale querit corpus. **71** Illi autem caritatem non habent ad alueolum nec congregant dulcedinem, qui opera quedam faciunt michi bona sed ex timore supplicii. **72** Qui, licet opera quedam pietatis habeant, non tamen relinquunt propriam voluntatem et peccatum. **73** Qui sic habere volunt Deum, ut tamen nec mundum relinquant nec aliquem defectum et perturbationem paciantur.

74 Isti tales vacuis pedibus currunt in domum, quia currunt, sed indiscrete, volant, sed non caritate debita. **75** Propterea, cum autumpnus venerit, idest tempus separacionis, apes inutiles separabuntur a bonis, que pro amore sui et cupiditate fame eterna cruciabantur. **76** Pro contemptu vero Dei et tedio boni nimio frigore dissolucentur, sed non consumentur.

77 Verumptamen amici mei de triplici malicia apum malarum sibi cauere debent. **78** Primo, ne putredo earum veniat in aures eorum, quia venenate sunt. Ablato quippe melle vacue sunt a dulcedine, pro qua habundant amaritudine venenata. **79** Secundo caueant pupille oculorum suorum pro alis earum, quia acutissime sunt sicut acus. **80** Tercio seruent corpus suum, ne nudum sit pro caudis earum. Habent enim aculeos, quibus amare nimis pungunt. **81** Quid autem ista significant, sapientes sciunt exponere, qui mores earum attendunt et affectum. **82** Qui vero nesciunt intelligere, timeant periculum, fugiant consorcium earum et exempla. Alioquin addiscent experiendo, que non nouerunt audiendo."

83 Deinde loquebatur mater: "Benedictus sis tu, fili mi, qui es et qui eras et eternaliter eris! Misericordia tua dulcis est et iusticia tua magna. **84** Michi videtur, fili mi, per similitudinem loquendo, quod sic nunc tecum est, quasi quod quedam nubes ascenderet in celum, hanc vero precederet lenis aer. **85** In nube autem apparuit quasi quoddam tenebrosum, sed qui erat extra domum senciens lenitatem aeris, eleuauit oculos et vidi nubem tenebrosam, et considerans secum ait: **86** 'Obscuritas istius nubis videtur michi significare futuram pluuiam.' Et mox sano usus consilio festinavit in latibulum a pluuiia se abscondens. **87** Alii vero, qui erant ceci vel qui forte non curabant, paruipendentes lenitatem aeris nec formidantes obscuritatem nubis experiebantur hoc, quod nubes significabat. **88** Que quidem nubes crescens per totum celum venit cum maxima commocione et igne impetuoso tamque forti, quod ad commocionem eius exibat vita. Ad ignem vero omnia consumebantur interiora hominis et exteriora, ita quod nichil remaneret.

89 Hec nubes, fili mi, verba tua sunt, que multis tenebrosa videntur et incredibilia, quia non multociens audita, quia ydiotis ministrata nec signis declarata. **90** Hec verba precedit peticio mea et misericordia tua, qua miseris omnibus et allicis quasi mater omnes ad te. **91** Hec misericordia lenis est quasi aer lenissimus in pacientia et sufferencia, calida est in caritate, qua prouocantes te ad iram mones ad misericordiam et offers contempnentibus pietatem. **92** Ergo omnes, qui audierint verba hec, eleuent oculos, et videbunt in intelligentia, unde processerint verba. Inquirant, si sonuerint misericordiam et humilitatem. **93** Attendant, si sonant presencia an futura, veritatem an falsitatem; et si vera inuenerint, fugiant ad latibulum, idest ad veram humilitatem cum diuina caritate. **94** Nam cum iusticia venerit, tunc pre timore separabitur anima a corpore. Animam vero claudet in se ignis et ardebit interius et exterius. **95** Ardebit quidem, sed non

consumetur. Propterea ego, regina misericordie, clamo ad habitatores mundi, eleuent oculos et videant misericordiam. **96** Ego moneo et rogo quasi mater, consulo quasi domina. **97** Cum enim venerit iusticia, impossibile erit resistere. Ergo credite firmiter et respicite, probate in conscientia veritatem, mutate voluntatem, et tunc, qui ostenderit verba caritatis, ostendet et opera et signa caritatis!"

98 Deinde Filius michi loquebatur dicens: "Ostendi tibi supra de apibus, quod habent triplex bonum de apiastro suo. Dico tibi nunc, quod tales apes deberent esse illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Christianorum posui. **99** Sed iam ipsi pugnant contra me. Nam de animabus non curant, non compaciuntur corporibus conuersorum ad fidem catholicam et ad me de errore. **100** Opprimunt enim eos laboribus, priuant libertatibus, in fide non instruant eos, sacramentis priuant et cum maiori dolore mittunt eos ad infernum quam si starent in suo assueto paganismo. **101** Nec eciam pugnant nisi ut dilatent superbiam suam et augeant cupiditatem suam. Ideo veniet eis tempus, quo confringentur dentes eorum, manus dextera mutilabitur, et subneruabitur dexter pes eorum, ut viuant et se ipsos cognoscant."

Verba querimonie Dei de tribus, que nunc per mundum transeunt, et qualiter Deus elegit tres status ab inicio, scilicet clericorum, defensorum et laboratorum, et de pena ingratis hominibus parata et de gloria gratis hominibus illata et concessa. Capitulum XX.

1 Videbatur exercitus celestis magnus, ad quem Deus locutus est dicens: "Licet omnia scitis et videtis in me, tamen, quia michi sic placet, conqueror coram vobis de tribus. **2** Primo, quod aparia illa suauissima, que in celo ab eterno edificata sunt, de quibus apes ille inutiles exierunt, vacua sunt. **3** Secundo, quia abyssus illa insaciabilis, cui non lapides, non arbores resistunt, semper aperta est, in quam anime descendunt sicut nix de celo in terram. **4** Et sicut a facie solis nix dissoluitur in aquam, sic anime a magnitudine supplicii dissoluuntur ab omni bono et renouantur ad omnem penam. **5** Tercio conqueror, quod pauci sunt, qui attendunt vacuitatem locorum, de quibus preuaricati sunt angeli mali, et animarum casum. Ideo merito conqueror.

6 Ego enim ab inicio elegi tres viros, per quos intelligo triplicem statum in mundo. **7** Primo elegi clericum, qui clamaret voluntatem meam voce et ostenderet opere. **8** Secundo defensorem elegi, qui amicos meos defenderet vita sua et paratus esset pro me ad omnem laborem. **9** Tercio elegi laboratorem, qui laboraret manibus suis, ut pasceret corpora labore suo.

10 Primus, scilicet clericus, nunc factus est leprosus et mutus, quia omnis, qui querit in clero videre pulchritudinem morum et virtutum, recurrit retro, turbatur visu et abhorret accedere ad eum propter lepram superbie et cupiditatis sue. **11** Si vero querit eum audire, mutus factus est ipse clericus a laude mea et garrulus ad laudem propriam. **12** Quomodo ergo tunc aperietur via ad tantam suavitatem acquirendam, si ille debilis est, qui deberet precedere? Et si ille mutus est, qui deberet clamare, quomodo tunc audietur suauitas illa celestis?

13 Secundus, scilicet defensor, trepidat in corde, vacuus est manibus, quia trepidat pro scandalo mundi et amissione honoris eius. **14** Vacuus est manibus, quia nulla diuina opera facit, sed omnia, que facit, facit pro mundo. **15** Quis ergo tunc defendet populum meum, si ille, qui caput deberet esse, timet?

16 Tercius est velut asinus, qui caput inclinat ad terram et stat quatuor pedibus iunctis simul. **17** Vere sicut asinus est populus, qui nulla desiderat nisi terrena, qui neglit celestia et querit caduca. Ipse quasi quatuor pedes habet, quia modicam habet fidem et vacuam spem, tertio nulla opera bona, quarto voluntatem completam ad peccatum. **18** Inde os gule et cupiditati semper apertum stat. Ecce, amici mei, quomodo per tales potest abyssus illa insaciabilis minui, quomodo fauus poterit impleri?"

19 Tunc respondit mater Dei: "Benedictus sis tu, fili mi! Querimonia tua iusta est. Ego et amici tui non habemus ad te pro humano genere aliquam excusacionem nisi unum verbum, in quo saluari potest. **20** Hoc est: 'Miserere, Iesu Christe, fili Dei viui!' Hoc ego clamo, hoc et amici tui." **21** Respondit Filius: "Verba tua sunt suauia in auribus meis, sapiunt delectabiliter in ore, intrant cum caritate in cor. **22** Ego habeo unum clericum et unum defensorem et unum rusticum. **23** Primus est delectabilis sicut sponsa, quam sponsus honestissimus cum diuina caritate toto desiderio desiderat. Huius vox erit sicut vox, que ex clamore et collocuzione resultat in siluis. **24** Secundus erit paratus dare vitam suam pro me, non timebit mundi obprobrium. Hunc ego armabo armis Spiritus sancti. **25** Tercius habebit tam firmam fidem, quod dicet sic: 'Tam firmiter credo, quod quasi videam, que credo. Spero eciam omnia, que promisit Deus.' **26** Voluntatem habebit faciendi bona et proficiendi in bono et omittere mala.

27 In os primi hominis dictorum trium ponam tria verba, que clamabit. **28** Primo clamabit: 'Qui habet fidem, faciat opere, que credit!' Secundo: 'Qui sperat firmiter, stabilis sit in omni bono.' Tercio: 'Qui diligit perfecte et caritatue, desideret feruenter videre, que diligit!' **29** Secundus erit quasi leo fortis in laborando, in inisidiis precaudis sollicitus et stabilis in perseuerando. **30** Tercius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda et caput leuabit ad celum. **31** Isti complebunt voluntatem meam. Hos sequentur alii. Et licet tres nomino, per eos tamen plures intelligo."

32 Deinde loquebatur ad sponsam dicens: "Sta stabilis! Noli sollicitari de mundo, non de obprobrio, quia, qui omnia obprobria audiui, ego sum Deus tuus et Dominus."

Verba Virginis gloriose ad filiam de modo Christum deponendi de cruce et de suis amaritudine et dulcedine in Filii passione et qualiter anima per virginem et amor mundi et Dei per duos iuuenes designantur et de condicionibus, quas anima debet habere tamquam virgo. Capitulum XXI.

1 Maria loquebatur: "Quinque cogitare debes, filia mea. **2** Primo, quod omnia membra filii mei in morte diriguerunt et frigescebant, sanguis, qui de vulneribus eius in passione effluxit, membris omnibus adhesit coagulatus. **3** Secundo, quod in corde punctus erat tam amare et immisericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam et ambe partes cordis essent in lancea. **4** Tercio cogita, quomodo deponebatur de cruce! Hii duo, qui deponebant eum de cruce, tres applicabant scalas: una protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas et ad brachia, tercia ad medietatem corporis. **5** Primus ascendit et tenebat eum per medium. Secundus ascendens per aliam scalam excussit primo unum clavum de uno brachio, deinde applicata scala excussit clavum alterius manus. **6** Qui quidem clavi longe ultra stipitem crucis protendebantur. **7** Descendente itaque illo, qui sustentabat onus corporis, paulatim et modice, prout poterat, ille aliis ascendit scalam, que tendebatur ad pedes, et excussit clavos de pedibus. **8** Cumque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, aliis per pedes. Ego vero, que mater eram, tenui per medium. **9** Et sic nos tres portauimus eum ad quandam petram, que lintheo mundo per me operata erat, in quo obuoluimus corpus. Sed non consui lintheum. Sciebam enim pro certo, quod non in tumulo putresceret.

10 Postea Maria Magdalena et alie sancte mulieres venerunt, necnon et angeli sancti multi quasi aethomi solis affuerunt obsequium exhibentes creatori suo. **11** Qualem autem tristiam tunc temporis habui, non est, qui valeat dicere. Eram enim sicut mulier pariens, cuius omnia membra post partum tremula sunt. **12** Que, licet pre dolore vix respirare possit, tamen gaudet interius, quantum potest, eo quod scit filium suum natum in eandem miseriam, de qua exiuit, numquam redditum. **13** Sic ego, licet ex morte filii mei eram incomparabiliter tristis, tamen, quia sciui filium meum non amplius moriturum sed in eternum victurum, gaudebam in anima mea. Et sic cum tristitia mea quedam leticia miscebatur. **14** Vere dicere possum, quod sepulco filio meo quasi duo corda in uno sepulchro fuerunt. Numquid non dicitur: 'Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum?' Sic in sepulchro filii mei semper cogitacio et cor meum versabatur."

15 Deinde adiciens mater Dei dixit: "Dicam tibi de illo tali per modum exempli, quomodo et in quo statu positus erat et quomodo nunc constitutus est, **16** quasi quedam virgo cuidam despontata esset et ante ipsam duo iuuenes starent, quorum unus a virgine vocatus dixit ei: **17** 'Consulo tibi, ne credas ei, quem despontasti. Ipse rigidus est in operibus, tardus in remuneracione, avarus in donis. **18** Crede ergo magis michi et verbis, que tibi dico, et monstrabo tibi alium, qui non est durus sed lenis in omnibus, qui dat tibi statim, quod desideras, qui dat eciam tibi copiose, que placent et delectant.' **19** Quibus auditis virgo cogitans secum respondit: 'Verba tua sunt dulcia ad audiendum. Tu personaliter lenis et pulcher es ad senciendum. Consultum credo verba tua sequi.' **20** Et cum extraheret anulum de digito, ut porrigeret iuueni, vidit superius unam scripturam, in qua erant tria verba. **21** Primum erat: 'Cum veneris in cacumen arboris, caue, ne apprehendas aridum ramum arboris ad sustentandum te, ne forte cadas!' **22** Secundum verbum erat: 'Cae, ne recipias consilium ab inimico!' **23** Tercium verbum erat: 'Non ponas cor tuum inter dentes leonis!' **24** Cumque virgo videret hec, retraxit manum et retinuit anulum cogitans secum sic: 'Hec tria, que video, forte notant, quod iste, qui me in sponsam habere cupit, non est fidelis. **25** Michi videtur, quod verba sua sunt vana; plenus est odio et interficiet me.' **26** Et cum sic cogitaret, iterum respexit et vidit aliam scripturam, in qua eciam erant tria verba. Primum verbum erat: 'Da ei, qui tibi dedit!' Secundum verbum erat: 'Da sanguinem pro sanguine!' Tercium verbum erat: 'Non alienes possessori, quod suum proprium est!' **27** Quibus visis et auditis cogitauit iterum sic virgo: 'Prima tria verba informant me, quomodo fugiam mortem, sequencia tria, quomodo optineam vitam. Ergo iustum est, ut magis sequar verba vite.' **28** Tunc virgo sapienti usa consilio vocauit ad se seruum illius, qui eam primo despontauit, et eo appropinquante ille, qui eam decipere voluit, se ab eis elongauit.

29 Talis est anima illius despontata Deo suo. **30** Duo iuuenes, qui ante eam stabant, sunt amicicia Dei et amicicia mundi. Nam amici mundi magis et vicinius appropinquant ei usque nunc. **31** Qui loquebantur ei de diuiciis et honore mundi, ad quos pene extendisset anulum amoris sui et eis in omnibus consensisset. **32** Sed succurrente gracia filii mei vidi scripturam quandam, idest audiuit misericordie eius verba, in quibus intellexit tria. **33** Primo, quod caueret sibi, ne, dum alcius ascenderet et rebus casuris inniteretur, grauior ei casus imminaret. Secundo intellexit nichil in mundo nisi dolorem et sollicitudinem. Tercio, quod mala est dyaboli retribucio. **34** Deinde aliam scripturam vidi, scilicet audiuit verba eius consolatoria. **35** Primo, ut daret sua Deo, a quo habet omnia. Secundo, ut redderet ei seruicium corporis sui, qui sanguinem suum fudit pro eo. Tercio, ut non alienaret animam suam a Deo suo, qui eam creauit et redemit. **36** Iстis auditis et diligenter consideratis appropinquant ei nunc serui Dei et placent, et elongant se ab eo serui mundi.

37 Sed nunc anima eius est quasi virgo, que de brachio sponsi sui nouiter surrexit, que tenetur habere tria. **38** Primo vestes decoras, ne forte derideatur a famulis regis, si in vestibus deprehenditur aliqua deformitas. **39** Secundo debet esse morigerata iuxta voluntatem sponsi, ne, si aliquid in actibus suis inueniatur in honestum, dehonestetur sponsus propter eam. **40** Tercio debet esse mundissima, ut sponsus non inueniat

in ea unam maculam, pro qua contempti vel repudiari possit. **41** Deinde habeat ductores ad cubiculum sponsi sui, ne forte in ambitibus vel in subtili aditu errare contingat. **42** Qui vero ductor esse debet, duo habeat: primo ut videatur a sequente; secundo ut audiatur, quid docet et quo itur. **43** Ille autem, qui sequitur aliquem precedentem, tria tenetur habere: primo ut non sit segnis et piger in sequendo; secundo ut non abscondat se a precedente; tertio ut diligencius attendat et consideret vestigia predecessoris et eum sollicite sequatur. **44** Ergo anima eius ut ad cubiculum sponsi perueniat, necesse est, ut a ductore ducatur, qui eam ad sponsum suum Deum feliciter perducat.”

Verba doctrine Virginis gloriose ad filiam de spirituali et temporali sapiencia et quam ipsarum quis debeat imitari et qualiter spiritualis sapiencia post paucos labores dicit hominem ad perpetuam consolacionem, temporalis vero ad eternam dampnacionem. Capitulum XXII.

1 Maria loquebatur: ”Scribitur, quod ‘qui vult sapiens esse, addiscat sapienciam a sapiente’. **2** Unde per exemplum dico tibi, quasi esset unus, qui volens addiscere sapienciam vidi duos magistros ante se stare, ad quos ait: **3** ‘Libentissime addiscerem sapienciam, si scirem, quo me duceret, qualem haberet utilitatem, qualem finem.’ **4** Respondit alter magistrorum: ‘Si meam sapienciam sequi volueris, ducet te in altissimum montem, sed in via duricia lapidum est sub pedibus, difficultas et preruptum est in ascensi. **5** Si laboraueris in ista sapiencia, habebis, quod exterius est tenebrosum sed intus fulgidum. Si tenueris eam, habebis, quod vis, firmiter. **6** Sed quasi circulus circumvoluit et attrahet te sibi magis ac magis, dulciter et dulcius, donec leticia ab omni parte tempore suo perfundaris.’ **7** Secundus magister ait: ‘Si sapienciam meam secutus fueris, ducet te in vallem floridam et ex omni terre fructu amenam. **8** Mollicia est in via sub pedibus et in descensu modicus labor. **9** Si persistiteris in ipsa sapiencia, habebis, quod extra est fulgidum, sed cum frui eo volueris, fugiet a te. Habebis etiam, quod non durat sed statim finitur. **10** Et cum liber perfectus fuerit, simul et liber et lectura annichilatur et vacuu relinqueris.’

11 Quibus auditis cogitabat ille secum: ’Audio hec duo mirabilia. **12** Si ascendero in montem, debilitantur pedes et grauatur dorsum. Si vero optinuero, quod extra est obscurum, quid michi prodest? **13** Si autem laborauero in eo, quod nullum habebit finem, quando tunc erit consolacio? **14** Alter quoque magister promittit, quod fulgidum est extra sed non mansurum, sapienciam cum lectura finituram. Que ergo michi in istis utilitas, si carent stabilitate?’ **15** Cumque sic cogitabat in animo, affuit ex improuiso quidam homo inter duos magistros et ait: **16** ‘Licet mons altus est et difficilis in ascensi, tamen supra montem nubes est lucida, ex qua habebis refrigerium. **17** Si autem, quod promittitur, exterius est tenebrosum, frangi quidem potest, et sic optinebis aurum, quod intus latet, quod cum leticia eternaliter poteris possidere.’

18 Duo isti magistri duplex sapiencia est, spiritualis videlicet et carnis. Spiritualis est voluntatem propriam Deo relinquere et toto desiderio et opere in celestia suspirare. **19** Non enim veraciter sapiencia dici potest, nisi cum verbis concordet opus. **20** Hec sapiencia dicit ad vitam beatam. Sed ista sapiencia est petrosa in perueniendo, prerupta in ascendendo. Durum quippe est et petrosum videtur affectionibus suis resistere. **21** Preruptum est consueta delectabilia calcare, mundi honorem non amare. **22** Quamuis autem sic difficile est, attamen quicumque cogitat secum, quia tempus est breue et mundus finitus, animumque constanter firmauerit ad Deum, huic supra montem apparebit nubes, idest consolacio sancti Spiritus. **23** Eius denique erit dignus consolacione, qui non alium consolatorem querit nisi Deum. Quomodo enim incepissent tam ardua et amara omnes electi, nisi bone voluntati hominis tamquam instrumento bono

cooperatus fuisse spiritus Dei? **24** Hunc autem spiritum adduxit eis voluntas bona, inuitauit diuina caritas, quam habebant ad Deum, quia laborabant voluntate et affectu, donec opere fiebant fortes. **25** Adepta vero consolacione spiritus, optinebatur et mox aurum diuine delectacionis et caritatis, qua non solum paciebantur multa contraria sed in paciendo considerata retribucione delectabantur. **26** Hec delectacio videtur mundi amatoribus tenebrosa, quia diligit tenebras; Dei vero amatoribus lucidior est sole et fulgencior auro, quia frangunt tenebras viciorum et ascendunt in montem pacientie, contemplantes nubem consolacionis, que non finitur sed incipit in presenti et quasi circulus circumvoluit, donec venerit ad perfeccionem. **27** Mundi vero sapiencia dicit ad vallem huius miserie, que florida videtur in abundancia rerum, amena in honoribus, mollis in voluptate. **28** Ista sapiencia cicius finietur nec aliquid plus utilitatis habet nisi quod solummodo videbat et audiebat.

29 Ergo, filia mea, inquire sapienciam a sapiente, idest a filio meo! Ipse quippe est sapiencia, a quo est omnis sapiencia; circulus ille ipse est, qui numquam terminatur. **30** Ego clamo ad te quasi mater ad filium: dilige sapienciam, que intus est quasi aurum, extra contemptibilis et intus feruens caritate, extra laboriosa et opere fructuosa! **31** Et si turbaris ex onere, spiritus Dei erit consolator tuus. **32** Accede et conare tamquam homo progrediens, donec assuescit! Non retrocedas, donec venias ad montis summum! **33** Nichil enim tam difficile est, quod in continuacione stabili et rationabili non erit facile. **34** Nichil tam honestum in principio aggressionis, quod ex imperfeccione consumacionis non obfuscetur.

35 Ergo accede ad spiritualem sapienciam! Hec ducet te ad labores corporis, ad mundi contemptum, ad modicam tribulacionem et perpetuam consolacionem. **36** Mundi vero sapiencia fallax est et pungitua. Hec ducet te ad temporalium congregacionem et ad presentem honorem sed in fine ad maximam infelicitatem, nisi sollicite preuideatur et caueatur.”

*Verba Virginis gloriose sue humilitatis declaracionis ad filiam et qualiter humilitas per mantellum
designatur et de condicionibus vere humilitatis et de eius fructu mirabili. Capitulum XXIII.*

1 ”Multi mirantur, cur loquor tecum. Certe ideo, ut humilitas mea ostendatur. **2** Sicut enim cor de membro corporis infirmo non gaudet, antequam iterum receperit sanitatem, et recepta sanitatem plus letatur, sic ego, quantumcumque homo peccat, si toto corde et vera emendacione ad me reuersus fuerit, statim parata sum recipere reuertentem. **3** Nec attendo, quantum peccauerit sed cum quali intencione et voluntate redit. **4** Ego vocor ab omnibus ‘mater misericordie’. Vere, filia, misericordia filii mei fecit me misericordem et misericordia eius visa compacientem. **5** Ideo miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit. Ergo tu, filia mea, veni et absconde te sub mantello meo! **6** Hic est exterius contemptibilis, intus vero utilis propter tria. Primo obumbrat ab aere tempestuoso, secundo munit a frigore urente, tertio defendit contra nubium imbre.

7 Hic mantellus humilitas mea est. Hec videtur a mundi amatoribus valde contemptibilis et supersticiosa ad imitandum. **8** Quid enim contemptibilius est quam vocari fatua et non irasci vel verba reddere? **9** Quid despeccius quam omnia relinquere et omnibus indigere? **10** Quid vero dolorosius apud mundiales quam iniuriam suam dissimulare et omnibus se credere et tenere indignorem et humiliorem? **11** Talis, o filia, erat humilitas mea, hoc gaudium meum, hec voluntas tota, que nulli nisi filio meo placere cogitabam. **12** Verumtamen hec humilitas sequentibus me valet ad tria. **13** Primo pro aere corruptuo et tempestuoso, idest pro obprobrio hominum et despeccione. Sicut enim aer fortis et impetuosus ab omni parte impellit

hominem et infrigidat, sic hominem impacientem et futurorum inconsideratiuum obprobria faciliter deiciunt, animum a caritate remittunt. **14** Sed quicumque ad humilitatem meam sedule attendit, cogitet, qualia ego, domina omnium, audiui, querat laudem meam, non suam. **15** Consideret, quod verba non sunt nisi aer, et mox habebit refrigerium. **16** Ut quid enim mundiales tam impacientes sunt ad verba et ad obprobria, nisi quia plus querunt laudem propriam quam Dei? Et humilitas in eis est nulla, quia obturatum habent oculum a peccatis. **17** Ergo, quamuis iusticia scripta dicit verba contumeliosa non debere audiri sine causa vel sustineri, virtus tamen est et merces illata pacienter propter Deum audiisse et sustinuisse.

18 Secundo humilitas mea defendit a frigore urente, idest ab amicicia carnali. Est enim quedam amicicia, qua diligitur homo propter presencia ista, sicut illi, qui loquuntur sic: **19** 'Ciba tu me et ego te in presenti, quia non curo, quis te cibabit post mortem! Honora tu me et ego te, nam pro minimo est michi, qualis sequatur honor futurus.' **20** Hec enim est amicicia frigida absque calore Dei, dura quasi nix congelata in amore et compassione proximi indigentis, infructuosa ad premium. **21** Disiuncta enim societate et deposita mensa statim dissoluta est omnis amicicie utilitas et fructus euacuatus. **22** Quicumque vero meam humilitatem imitatur, ipse benefacit omnibus propter Deum, tam inimicis quam amicis: **23** amicis, quia in honore Dei stabiliter persistunt, inimicis vero, quia creatura Dei sunt et forte futuri boni.

24 Tercio defendit humilitatis mee consideracio ab imbris et immundicia aque, que procedit de nubibus. **25** Unde enim procedit nubes nisi de humore et de vaporibus procedentibus de terra? Qui cum calore ascendentis in celum densantur in superioribus, et sic fiunt inde tria, scilicet pluua, grando et nix. **26** Hec nubes corpus hominis significat, quod de immundicia procedit. Habet autem corpus tria secum, sicut et nubes secum. **27** Habet enim corpus audire, videre et sentire. Ex eo enim, quod corpus habet videre, concupiscit ea, que videt. **28** Concupiscit bona et pulchras facies, concupiscit latas possessiones. **29** Quid autem sunt omnia ista nisi quasi quedam pluua procedens de nubibus, maculans animam in affectu congregacionis, inquietans per sollicitudines, distendens per inutiles cogitationes et perturbans in congregatorum ammissione? **30** Ex eo vero, quod corpus habet audire, libenter audit honorem proprium, mundi amiciciam. Audit quecumque corpori sunt delectabilia animeque nocua. **31** Hec omnia quid aliud sunt nisi quasi nix ciecius dissoluenda, frigidam faciens animam ad Deum et obturatam ad humilitatem? **32** Ex eo vero, quod corpus habet sentire, sentit libenter suam voluptatem et corporis quietudinem. **33** Hoc quid aliud est nisi quasi grando ex aquis immundicie congelata, infructiferam reddens animam ad spiritualia, fortem ad mundalia et mollem ad corporis oblectamenta? **34** Ergo quicumque ab hac nube defendi desiderat, confugiat ad humilitatem meam et imitetur eam. **35** Per hanc enim defenditur a cupiditate visus, ne concupiscat illicita, defenditur a delectacione auditus, ne audiat contra veritatem, defenditur a voluptate carnis, ne succumbat in illicitis motibus.

36 Vere dico tibi: Humilitatis mee consideracio ipsa est tamquam bonus mantellus calefaciens portantes se, eos scilicet, qui non solum eum portant cogitatione sed et opere. **37** Non enim calefacit mantellus corporalis, nisi portetur, nec humilitas mea proficit eam cogitantibus, nisi et pro modulo suo unusquisque studeat eam imitari. **38** Ergo, filia mea, inde te hac humilitate pro viribus tuis, quia mulieres mundi mantellos portant, qui extra habent superbiam, intus vero modicam utilitatem. **39** Has vestes omnino fuge, quia, nisi vilescat tibi prius amor mundi, nisi continue pensaueris circa te Dei misericordiam et tuam circa eum ingratitudinem, nisi cogitaueris semper ea, que fecisti et que facis et qualem sentenciam iudicii pro hiis mereris, non poteris apprehendere mantellum humilitatis mee. **40** Ut quid enim ego tantum me humiliabam aut unde tantam graciam promerui, nisi quia cogitaui et sciui me nichil a me esse vel habere? **41** Et ideo et nolui laudem meam sed solius datoris et creatoris. **42** Ergo, filia, fuge ad mantellum humilitatis mee et cogita te peccatricem super alios! Quia eciam si aliquos videris malos, nescis, quid eis

cras futurum est; nescis eciam, qua intencione et qua sciencia hoc faciunt, utrum infirmitate an industria. **43**
Ideo nullis te preferas nulosque in corde tuo debes iudicare.”

Verba exhortacionis Virginis ad filiam querimoniam innuencia de paucitate suorum amicorum, et qualiter Christus loquitur sponse inquiens, quod per flores intelliguntur eius sacra verba et in quibus talia verba habeant fructificare. Capitulum XXIV.

1 Maria loquebatur: ”Ubi magnus exercitus esset, quicumque procederet iuxta eum habens dorsum nimis grauatum aliquo magno pondere et brachia similiter et oculos plenos lacrimis et respiceret ad exercitum, si forte esset aliquis, qui compateretur ei et releuaret onus, talis ego eram. **2** Nam ego fui plena tribulacione a natuitate filii mei usque ad mortem eius. Ego in dorso meo portaui maximum onus, cum labori diuino iugiter instabam et omnia aduenienda michi portabam pacienter. **3** Inter brachia mea tolerabam onerosum pondus, cum tribulacionem et dolorem cordis ultra omnem creaturam paciebar. **4** Ego oculos meos plenos habui lacrimis, quando considerabam in membris filii mei loca clauorum et passionem eius futuram et cum viderem in eo omnia compleri, que audiebam a prophetis vaticinata. **5** Sed nunc respicio ad omnes, qui in mundo sunt, si forte sint aliqui, qui compaciantur michi et recogitent dolorem meum, et valde paucos inuenio, qui cogitent tribulacionem et dolorem meum. **6** Ideo, filia mea, licet a multis obliterata et neglecta sum, tu tamen non obliuiscaris me! Vide laborem meum et imitare, quantum potes! Considera dolores meos et lacrimas et dole, quia amici Dei pauci sunt! Sta stabilis! Ecce filius meus venit!”

7 Qui statim veniens ait: ”Ego sum Deus tuus et Dominus, qui loquor tecum. Verba mea sunt quasi flores arboris bone, et quamuis omnes flores de una radice arboris prodeunt, non tamen omnes flores veniunt ad effectum fructus. **8** Sic verba mea sunt quasi quidam flores, de radice caritatis diuine prodeentes; que quidem multi suscipiunt, non tamen in omnibus faciunt fructum nec in omnibus maturescunt. **9** Quia quidam suscipiunt ea et retinent ad tempus, et sic postea reiciunt, quia spiritui meo ingratiti sunt. **10** Quidam suscipiunt et retinent, quia caritate pleni sunt, et in hiis faciunt fructum deuocionis et sancte operacionis.

11 Tu ergo, sponsa mea, quia iure diuino mea facta es, oportet te habere tres domos. **12** In prima debent esse necessaria, que intrant in corpus; in secunda vestes, que vestiant corpus exterius; in tercia instrumenta necessaria ad utilitatem domus. **13** In prima debent esse tria: primo panis, secundo potus, tertio edulium. **14** In secunda domo debent esse eciam tria: primo vestimentum lineum, secundo laneum, tertio, quod fit de opere vermium. **15** In tercia domo eciam debent esse tria: primo instrumenta et vasa, que implenda sunt liquore, secundo instrumenta viuencia, quibus promouentur corporalia, utputa equi et asini et similia, tertio instrumenta, que per viua mouentur.”

Verba ammonicionis Christi ad sponsam de prouisione in tribus domibus fienda et qualiter bona voluntas per panem, premeditacio diuina per potum, sapiencia diuina per edulium designantur et qualiter sapiencia diuina non est in litteratura sed in corde et vita bona. Capitulum XXV.

1 ”Ego ipse, qui loquor tecum, sum creator omnium et a nullo creatus. Ante me nichil erat nec post me aliquid esse poterit, quia ego semper eram et semper sum. **2** Ego eciam sum Dominus, cuius potencie

nullus resistere poterit et a quo est omnis potestas et dominacio. **3** Ego loquor tibi, sicut vir loquitur ad uxorem suam:

4 Uxor mea, nos debemus habere tres domos. In una debet esse panis et potus et edulium. **5** Sed potes querere: Quid notat panis iste? Numquid noto panem, qui in altari est? **6** Hic utique ante verba illa, scilicet 'Hoc est corpus meum', panis est, sed dicto verbo illo non panis est sed corpus meum, quod de Virgine sumpsi et in cruce veraciter crucifixum est. **7** Hunc ego non noto hic, sed panis, quem in domum nostram congregare debemus, est voluntas bona et sincera. **8** Corporalis panis, si purus et mundus est, duo bona habet. Primo confortat et dat venis et arteriis et neruis omnibus fortitudinem, secundo recipit ad se omnem putredinem interiorem et cum hac discedit et in secessum vadit, et homo emundatur. **9** Sic voluntas pura primo confortat. **10** Nam si homo nichil velit nisi que Dei sunt, nichil laborat nisi ad honorem Dei, toto desiderio desiderat exire de mundo et esse cum Deo, hec voluntas confortat hominem in bono, augmentat amorem Dei, facit ei mundum vilescere, pacienciam fortificat et spem glorie adipiscende roborat in tantum, quod omnia adueniencia hylariter amplectitur. **11** Secundo voluntas bona omnem putredinem extrahit. Que est putredo nocens anime nisi superbia, cupiditas et luxuria? **12** Sed cum putredo superbie vel alicuius alterius vicii venerit in mentem, tunc discedit, si homo cogitat sic: **13** 'Superbia vana est, quia non decet accipientem laudari de bonis datis sed datorem. **14** Cupiditas vana est, quia omnia terrena relinquuntur. **15** Luxuria non est nisi fetor. Propterea nolo ea sed magis sequi voluntatem Dei mei, cuius premium numquam finietur, cuius bona numquam veterascunt.' **16** Tunc omnis superbie et cupiditatis temptacio discedit et voluntas bona in bono perseuerat.

17 Potus, quem debemus habere in domibus nostris, est diuina premeditacio in omnibus agendis. **18** Corporalis enim potus duo bona habet. Primo facit bonam digestionem. **19** Quicumque enim aliqua bona facere proponit, si considerat secum et diligenter reuoluit, priusquam faciat, quis honor Dei ex hoc prouenit, que utilitas ad proximum, que commoditas ad animam, et noluerit facere, nisi aliquam utilitatem diuinam in opere suo perpenderit esse, tunc opus illud habebit bonum processum quasi bonam digestionem. **20** Tunc, si qua indiscrecio in opere faciendo occurrere poterit, cicius deprehenditur. **21** Tunc, si quid distortum fuerit, cicius corrigitur et opus suum rectum et racionabile et edificatium coram hominibus erit. **22** Nam qui in opere suo diuinam premeditacionem non habet nec utilitatem querit anime et honorem Dei, eciam si opus suum processum habebit ad tempus, in fine tamen, nisi corrigatur intencio, erit in nichilum. **23** Secundo potus extinguit sitim. Que est sitis peior quam peccatum prae cupiditatis et ire? **24** Et si homo premeditatur, que inde prouenit utilitas, quam misere finitur, que remuneracio, si resistitur, mox per graciam Dei extinguit illa sitis prava, accedit ardor diuine caritatis et boni desiderii, surgit leticia ex eo, quod non fecit ea, que venerunt in mentem eius. **25** Inquirit occasionem, quomodo ea de cetero poterit cauere, quibus supplantatus fuisset, nisi succurrisset premeditacio, et sollicitior fiet de cetero in cauendo talia. **26** Hic, sponsa mea, est potus, qui in fiscum nostrum debet congregari.

27 Tercio debet ibi esse edulium. Hoc facit duo. Primo facit in ore meliorem saporem et melius conuenit corpori quam si esset solus panis. **28** Secundo facit delicaciorem carnem et meliorem sanguinem quam si esset solus panis et potus. **29** Sic eciam spirituale edulium facit. Quid est edulium hoc? Utique sapiencia diuina. **30** Quicumque enim habet bonam voluntatem, nichil volens nisi que Dei sunt, diuinam premeditacionem, nichil faciendo, nisi prius nouerit ibi honorem Dei, huic sapit valde bene sapiencia.

31 Nunc potes querere: 'Que est diuina sapiencia?' Multi enim sunt simplices, qui nesciunt nisi unum, scilicet 'Pater noster', et hoc vix rectum. **32** Alii sunt magne litterature et profunde sciencie. Numquid hoc est diuina sapiencia? Nequaquam. Diuina enim sapiencia non est precise in litteratura sed in corde et bona

vida. **33** Quicumque cogitat sedule viam ad mortem, qualitatem ipsius mortis et iudicium post mortem, hic sapiens est. **34** Quicumque abicit a se vanitatem mundi et superflua, quicumque contentatur de solis necessariis et laborat in amore Dei, quantum potest, hic habet edulium sapiencie, quo voluntas bona et diuina premeditacio sapiunt melius. **35** Quando enim homo cogitat mortem et in morte nuditatem, quando homo perpendit iudicium Dei terribile, ubi nichil occultatur, nichil dimittitur impunitum, quando et cogitat mundi instabilitatem et vanitatem, numquid non tunc gaudet et dulciter sapit in corde reliquise voluntatem suam Deo et abstinuisse se a peccatis? **36** Numquid non tunc confortatur caro et sanguis melioratur, idest omnis infirmitas anime, scilicet accidia et morum dissolucio, propellitur, sanguis diuine caritatis fit recencior? **37** Quia considerat racionabilius fore diligenda ea, que eterna sunt, quam que casura.

38 Ergo diuina sapiencia non est precise in litteratura sed in bono opere, quia multi sapientes secundum mundum et ad desideria sua, sed omnino insipientes sunt ad Dei mandata et voluntatem eius et refrenacionem corporis sui. **39** Et hii non sunt sapientes sed insipientes et ceci, quia sciunt ea, que casura sunt et ad momentum utilia, eterna vero despiciunt et obliuiscuntur. **40** Alii sunt insipientes ad mundi delectabilia et honorem eius et sapientes ad considerandum, que Dei sunt, feruentes in obsequio eius. **41** Hii veraciter sapientes sunt, quia sapit eis preceptum Dei et voluntas eius. **42** Isti veraciter illuminati sunt et apertos habent oculos, quia semper considerant, quomodo veniant ad veram vitam et veram lucem. **43** Alii vero ambulant in tenebris, et delectabilius videtur eis esse in tenebris quam viam inquirere, per quam venire possent ad lucem.

44 Propterea, sponsa mea, congregemus in domos nostras hec tria, scilicet bonam voluntatem, premeditacionem diuinam et diuinam sapienciam. **45** Hec enim sunt, ex quibus letari debemus. **46** Licet autem te moneo, attamen omnes electos meos in mundo in te noto, quia anima iusti sponsa est mea; ego enim creator sum et redemptor.”

*Verba ammonicionis vite Virginis ad filiam et Christi ad sponsam de vestimentis habendis in secunda domo
et qualiter per talia vestimenta pax Dei et pax proximi et opera misericordie et abstinentia pura
designantur, et omnium istorum declaracio optima. Capitulum XXVI.*

1 Maria loquebatur: ”Imprime tibi monile passionis filii mei, sicut iste sanctus Laurencius impressit sibi. **2** Ipse enim cotidie cogitabat in mente sua sic: ’Deus meus ipse est dominus meus, ego vero seruus. **3** Ipse Dominus Iesus Christus fuit nudatus et derisus; quomodo ergo decet, ut ego seruus vestiar delicacioribus? **4** Ipse fuit flagellatus et affixus ligno; non decet ergo, ut ego, qui seruus sum, si vere seruus sum, sim absque dolore et tribulacione.’ **5** Cumque igitur super prunas extenderetur et cum adeps liquidus in ignem decurreret et omnia membra ignis inflammaret, respexit oculis in celum dicens: **6** ’Benedictus sis tu, Deus meus et creator meus, Iesu Christe! Ego cognosco me non bene in diebus meis vixisse, cognosco eciam me in honore tuo modicum fecisse. Ideo quia misericordia tua maxima est, rogo te, ut facias secundum misericordiam tuam.’ **7** Et cum isto verbo anima a corpore separata est.

8 Ecce, filia mea! Qui tantum filium meum dilexit, qui talia pro honore eius passus est, adhuc indignum se dixit optinere celum. Quomodo ergo illi digni sunt, qui secundum voluntatem suam viuunt? **9** Propterea considera semper passionem filii mei et sanctorum eius! Non enim sine causa tanta passi sunt, sed ut aliis exemplum viuendi darent et ut ostenderent, quantam districcionem filius meus pro peccatis exiget, qui non minimum peccatum vult esse sine emendacione.”

10 Deinde Filius veniens loquebatur sponse dicens: "Dixi tibi prius, que debent esse in domibus nostris. **11** Inter cetera enim debent ibi esse vestes sub triplici genere: primo vestimentum lineum, quod nascitur et crescit de terra, secundo pelliceum, quod fit de animalibus, tertio sericum, quod fit de vermbus. **12** Lineum vestimentum habet duo bona. Primo molle est et lene ad nuda corporis. Secundo non perdit colorem suum, sed quo frequencius abluitur, tanto fit mundius. **13** Secundum vestimentum, scilicet pelliceum, eciam habet duo. Primo cooperit turpidinem, secundo calefacit contra frigus. **14** Tercium vestimentum, scilicet sericum, eciam habet duo. Primo videtur esse valde pulchrum et delicatum, secundo valde carum ad emendum. **15** Lineum vero indumentum, quod ad nuda corporis habile est, notat pacem et concordiam. **16** Hanc debet deuota anima habere ad Deum, ut pacem habeat cum Deo suo, nichil aliud vel aliter volendo quam quod Deus, non exacerbando eum per peccata, quia inter Deum et animam non est pax, nisi peccare desistatur et concupiscencia refrenetur. **17** Debet eciam pacem habere ad proximum, scilicet non inferendo ei mala, succurrendo ei, si habet, sufferendo, si contra eum peccauerit. **18** Quid enim infelicius distendit animam quam semper peccatum appetere et numquam eo repleri, semper desiderare et numquam quiescere? **19** Quid vero amarius pungit animam quam contra proximum irasci et bonis eius inuidere? **20** Ideo pacem debet habere anima ad Deum et ad proximum, quia nichil quiecius esse potest quam quiescere a peccato, non sollicitari de mundo, nichil eciam lenius quam gaudere de bono proximi et ei velle, quod sibi ipsi.

21 Hoc quoque lineum indumentum debet esse ad nuda corporis, quia cordi, in quo Deus requiescere vult, pax vicinior inter ceteras virtutes propinquius et principalius inherere debet. **22** Hec enim est virtus, que Deum inducit in cor et introductum tenet. **23** Que pax tamquam linum nascitur et crescit de terra, quia vera pax et pacienza oritur de consideracione infirmitatis proprie. **24** Homo enim, qui de terra est, consideret infirmitatem suam, scilicet quod statim irascitur, si offenditur, quod statim dolet, si leditur. Et si sic cogitauerit, non faciet alteri, quod ipse non potest personaliter ferre, cogitando secum, quia: **25** 'Sicut ego, sic et proximus meus infirmus est. Sicut ego nolo talia pati, sic nec ipse potest.' **26** Tunc pax non amittit colorem suum, idest stabilitatem suam, sed eo fit constancior, quia consideracio infirmitatis proximi in se ipso facit hominem beniuole tolerare illata. **27** Si autem per impacienciam pax denigratur aliquo modo, tanto fit candidior apud Deum, quanto frequencius et cicias lauatur per penitenciam. **28** Fit eciam tanto lecior et caucior ad ferendum, quo plus exasperatur et frequencius abluitur, quia gaudet de spe retribucionis, quam sperat sibi futuram propter pacem, et eo sollicicetus cauet sibi, ne per impacienciam cadat.

29 Secundum vestimentum, scilicet pelliceum, notat opera misericordie. Que quidem vestimenta pellicea fiunt de pellibus mortuorum animalium. **30** Quid sunt animalia nisi sancti mei, tamquam animalia simplices? Horum pellibus debet tegi anima, idest opera misericordie eorum debet imitari et facere. **31** Hec faciunt duo. Primo cooperiunt turpidinem anime peccatarum et emundant eam, ne in conspectu meo maculosa appareat. **32** Secundo defendunt animam contra frigus. Quid est frigus anime nisi induracio anime ad amorem meum? **33** Contra hoc frigus valent opera misericordie, que vestiunt animam, ne frigore dissoluatur. Per hec enim Deus visitat animam, et ipsa Deo semper vicinus appropinquit.

34 Tercium vestimentum, scilicet sericum, quod fit de vermbus, quod videtur valde carum ad emendum, notat abstinenciam puram. **35** Hec enim est pulchra in conspectu Dei et angelorum et hominum. Ipsa est eciam cara ad emendum, quia durum videtur homini cohercere os suum a multiloquio et vaniloquio. **36** Durum videtur refrenare carnis sue cupiditatem a nimia superfluitate et delectabilitate sua; durum eciam videtur contra voluntatem suam ire. Sed licet durum sit, tamen utile omnimode est et pulchrum.

37 Ideo, sponsa mea, per quam intelligo omnes fideles, congregemus in secundam domum nostram pacem ad Deum et proximum, opera misericordie compaciendo et subueniendo miseris, abstinentiam a concupiscenciis. **38** Hec licet carior sit ceteris, sic eciam pulchrior est aliis in tantum, quod sine ea nulla videatur alia virtus esse pulchra. **39** Que quidem abstinenzia trahi debet de veribus, idest de cogitatione excessum suorum contra Deum suum, de humilitate et de abstinenzia mea, qui factus sum similis vermis propter hominem. **40** Considereret namque homo in animo suo, quomodo et quociens contra me peccauerit et qualiter emendauerit, et inueniet in se, quod nulla abstinenzia et nullo labore suo sufficeret emendare, quociens contra me peccauerit. **41** Perpendat eciam penam meam et sanctorum meorum, quare talia passi sumus, et intelliget veraciter, quod, si tantam districcionem exegi a me et sanctis meis, qui michi obedierunt, quanto districciorem ulcionem exigam ab eis, qui michi non obediunt. **42** Ergo bona anima assumat sibi abstinenzię libenter et recordetur peccata sua, quam mala sunt, que quasi vermes rodunt animam, et sic de vilibus vermbus preciosum sericum congregabit, idest abstinenzię puram in omnibus membris suis. **43** De qua Deus gaudet et omnis celi exercitus. Et pro qua congregans merebitur eternum gaudium, qui, nisi ipsa subueniret, habuisset eternum luctum.”

Verba Christi ad sponsam de instrumentis in tercia domo reponendis et qualiter per talia instrumenta bone cogitationes, sensus disciplinati et vera confessio designantur, et omnium istorum optima declaracio et de clausura istarum domorum in generali. Capitulum XXVII.

1 Filius Dei loquebatur ad sponsam dicens: ”Dixi tibi prius, quod in tercia domo deberent esse instrumenta sub triplici genere. **2** Primo instrumenta, in quibus infunderentur liquores. **3** Secundo instrumenta, quibus terra foris preparetur, ut rastrum et securis et huiusmodi, quibus confracta restaurentur. **4** Tercio instrumenta viua, sicut asini et equi et similia, quibus et viua et mortua promouentur.

5 In prima autem domo, in qua sunt liquores, debent esse duo instrumentorum genera: primo instrumenta, in quibus infundantur liquores fluidi et dulces, sicut aqua et oleum et vinum et huiusmodi; secundo instrumenta, in quibus infundantur liquores amari et spissi, sicut sinapis et farina et similia. **6** Numquid potes tu intelligere, quid ista significant? Liquores certe significant cogitationes anime bonas et malas. **7** Cogitacio enim bona est sicut oleum dulce et sicut vinum delectabile. Cogitacio mala est sicut sinapis amara, quia amaram facit animam et turbidam. **8** Et sicut homo quandoque habet necesse de liquoribus spissis, qui, licet non multum proficiant ad corporis sustentacionem, prosunt tamen ad corporis et cerebri purgacionem et sanacionem, sic eciam cogitationes male sunt. **9** Quia quamuis non impinguant et sanant animam ut oleum bonarum cogitationum, tamen proficiunt ad anime purgacionem, sicut sinapis ad purgacionem cerebri. **10** Nisi enim quandoque interuenirent cogitationes male, tunc homo esset angelus et non homo, et putaret homo omnia habere a se ipso. **11** Ideo ut homo intelligat infirmitatem suam, quam habet a se ipso, et fortitudinem, quam habet a me, necesse est, ut permittatur ex magna misericordia quandoque temptari cogitationibus malis. **12** Quibus si homo non consentit, purgacio sunt anime et custodia virtutum suarum, et licet amare sint quasi sinapis ad ferendum, tamen sanant multum animam et ducunt eam ad eternam vitam et sanitatem, que non potest haberi sine amaritudinibus. **13** Ergo vasa anime, ubi cogitationes bone reponentur, sedule parentur et continue mundentur, quia utile est, ut eciam cogitationes male adueniant propter probacionem et maius meritum. **14** Laboret autem anima diligenter, ne consenciat eis vel delectetur in eis. Alioquin dulcedo et incrementum anime effundetur et sola amaritudo remanebit.

15 In secunda domo debent esse instrumenta eciam sub duplici genere: primo instrumenta exteriora, quibus terra foris preparetur ad semen et spine eradicentur, utputa aratum et rastrum; secundo instrumenta utilia ad necessaria interiora et exteriora, utputa securis et consimilia. **16** Instrumenta autem, quibus excolitur terra, significant sensus hominis, qui ad utilitatem proximi tamquam aratum ad terram ordinandi sunt. **17** Mali enim homines sunt sicut terra, quia terrena semper cogitant. Ipsi namque sunt aridi a compunctione pro peccatis suis, quia peccatum nichil reputant. **18** Ipsi sunt frigidi in diuina caritate, quia nichil nisi suam voluntatem querunt. **19** Ipsi sunt ponderosi ad agendum bona, quia alacres sunt pro honore mundi. **20** Ideo vir bonus istos excolere debet per sensus exteriores, sicut et bonus rusticus terram excolit per aratum. **21** Primo enim debet excolere per os suum, loquendo eis utilia anime et informando ad viam vite, deinde opere faciendo bona, que poterit, ut proximus informetur per verba et excitetur ad faciendum bona. **22** Deinde excolat reliquis membris proximum suum, ut fructifer fiat, scilicet oculis simplicibus, ne videat impudica, ut proximus impudicus addiscat in omnibus membris modestiam. **23** Auribus suis excolat, ne audiat inepta, et pedibus, ut alacer sit ad opus Dei. **24** Huic terre sic exculte ego Deus pluuiam gracie mee per laborem excolentis tribuam, et gaudebit laborans de fructu terre prius aride, cum ceperit germinare.

25 Instrumenta vero, que ad interiora preparanda necessaria sunt, sicut securis et similia, significant discretam intencionem et diuinam discussionem operis sui. **26** Quia quidquid boni homo fecerit, non debet facere propter honorem et laudes hominum sed ex diuina caritate et eterna retribucione. **27** Ideo examinet homo diligenter opera sua, qua intencione et qua mercede hec facit, et si inuenerit in opere suo aliquam superbiam, abscidat statim securi discretionis, ut, sicut foris excolit proximum suum, qui quasi extra domum est, idest extra societatem amicorum meorum per opera mala, sic intus per diuinam caritatem fructificet sibi. **28** Quia sicut opus rustici, qui non habuit instrumenta, quibus reparet destructa, cicias erit in vacuum, sic, nisi discreta discretione homo examinet opera sua, quomodo alleuientur, si laboriosa videntur, quomodo reparentur, si franguntur, non peruenient ad profectum. **29** Propterea non solum laborandum est efficaciter exterius, sed et intus sollicite considerandum, quomodo et qua intencione laboratur.

30 In tercia domo debent esse instrumenta viua, que promoueant mortua et viua, scilicet equi et asini et alia animalia. **31** Hec instrumenta sunt confessio vera. Ipsa enim est, que et viua et mortua promouet. **32** Quid notat viuum nisi animam, que a deitate mea creata est et in eternum viuit? Ipsa enim per confessionem veram cotidie magis et magis appropinquat Deo. **33** Sicut enim animal, quo frequencius et melius nutritum fuerit, tanto forcius est ad portandum et pulchrius ad intuendum, sic confessio, quo frequencius facta fuerit et quanto diligencius tam de minimis quam de maximis, tanto magis animam promouet et in tantum Deo placet, quod eciam animam in cor Dei inducit. **34** Quid autem significant mortua, que eciam confessio promouet, nisi opera bona, que per mortale peccatum moriuntur? **35** Nam ipsa opera bona in mortalibus peccatis moriencia mortua sunt apud Deum, quia nullum bonum placere poterit Deo, nisi prius peccatum vel voluntate perfecta corrigatur vel opere. **36** Nec in uno vase sua via et fetencia bene conuenire poterunt. **37** Si autem aliquis opera bona mortalibus peccatis mortificat et veram confessionem de commissis assumpserit cum voluntate emendandi et cauendi de cetero, mox per confessionem et virtutem humilitatis reuiuiscent opera bona, que prius fuerunt mortua, et proficiunt ei ad salutem eternam. **38** Quod si moritur non facta confessione, opera ipsa bona, que mori et annichilari non possunt nec tamen per mortale peccatum eternam vitam mereri poterunt, proficiunt ei ad leuiorem penam vel aliis ad salutem, si tamen fecit ipsa opera bona cum diuina intencione et ad Dei honorem. **39** Si vero fecit ipsa opera propter honorem mundi et ipsius utilitatem, tunc ipsa opera moriente factore moriuntur, quia mercedem suam recepit de mundo, pro quo laborauit.

40 Propterea, sponsa mea, per quam intelligo omnes amicos meos, congregemus in domos nostras illa, unde spiritualiter Deus vult delectari cum anima sancta: primo, in domum primam scilicet, panem sincere voluntatis nichil volendo, nisi quod Deus vult; secundo potum diuine premeditacionis nichil agendo, nisi ibi cogitetur Dei honor; tertio edulium diuine sapiencie cogitando semper, que futura sunt et quomodo presencia ordinanda sunt. **41** In secundam domum congregemus pacem a peccatis ad Deum et pacem a rixa ad proximum; secundo opera misericordie, quibus eciam opere utiles simus proximo; tertio abstinentiam perfectam, qua coherceamus ea, que volunt turbare pacem. **42** In terciam domum congregemus rationabiles et bonas cogitationes ad ornandum domum nostram interius; secundo sensus bene disciplinatos et temperatos ad lucendum amicis nostris exterius; tertio confessionem veram, qua, si infirmamur, reuiuscere possimus.

43 Sed quamuis domus habeantur, non tamen possunt conseruari congregata in eis, nisi habeantur ostia, nec ostia possunt pendere sine cardinibus nec serari sine seris. **44** Ideo ut congregata maneant salua, ponatur in domo ostium, scilicet spes firma, ut nullis frangatur aduersitatibus. **45** Que spes habeat quasi duos cardines, scilicet ut non desperet homo de adipiscenda gloria nec de fugiendo suppicio, sed in omni aduersitate semper de misericordia Dei confidens speret meliora. **46** Sera autem ostii debet esse diuina caritas, qua muniatur ostium, ne ingrediatur inimicus. **47** Quid enim prodest habere ostium sine sera, quid spem sine caritate? **48** Si enim quis sperat premia eterna et sperat de Dei misericordia, non tamen diligit Deum et timet, ostium quidem habet quasi sine sera, per quod inimicus capitalis ingredi potest, cum voluerit, et occidere. **49** Sed spes recta est, ut, qui sperat, faciat eciam bona, que potest, sine quibus non potest optinere celestia, si sciuit et potuit facere bona et noluit. **50** Si vero quis excessisse se intelligit vel non fecisse, cum potuit, habeat bonam voluntatem faciendi bona, que potest et que facere non poterit, et speret firmiter se ad Deum posse accedere eciam per bonam voluntatem et diuinam caritatem. **51** Ergo ostium, idest spes, muniatur diuina caritate, ut, sicut sera multa habet intus retinacula, ne hostis aperiat, sic in diuina caritate sit quedam sollicitudo, ne Deus offendatur, sit caritatius timor, ne discedat ab eo, feroeciam igneus, quomodo Deus diligatur, et cura, quomodo imitetur. **52** Sit eciam dolor, eo quod non sufficit homo tantum facere, sicut vellet et sicut obligatum se intelligit, humilitas quoque, qua homo, quod agit, reputet nichil respectu peccatorum suorum. **53** Hiis retinaculis muniatur sera, ne dyabolus faciliter seram caritatis aperiat et immittat amorem suum.

54 Clavis vero, qua aperitur et clauditur sera, debet esse desiderium solius Dei, conueniens cum diuina caritate et diuino opere, ut scilicet nichil velit habere homo, eciam si posset, nisi Deum, et hoc propter maximam caritatem eius. **55** Hoc enim desiderium claudit Deum in anima et animam in Deo, quia una utriusque voluntas. **56** Hanc clavem uxor et vir debent habere soli, idest Deus et anima, ut, quociens Deus voluerit ingredi et delectari in bonis, scilicet anime virtutibus, liberum habeat accessum per clavem stabilis desiderii; quociens eciam anima ingredi voluerit ad cor Dei, libere possit, quia ipsa nichil desiderat nisi Deum. **57** Hec clavis custoditur per anime vigilanciam et humilitatis sue custodiam, qua Deo ascribit omne bonum, quod habet. **58** Et custoditur eciam hec clavis per Dei potentiam et Dei caritatem, ne anima a dyabolo supplantetur.

59 Ecce, sponsa mea, qualis caritas Dei ad animam! Sta ergo firmiter et fac voluntatem meam!"

Verba Christi ad sponsam de sui immutabilitate necnon et de suorum verborum perfeccione, quamuis statim opera non sequantur, et quomodo voluntas nostra committenda est in omnibus diuine voluntati.

Capitulum XXVIII.

1 Filius loquebatur ad sponsam dicens: "Cur sic turbaris ex eo, quod ille dixit verba mea esse falsa? Numquid sum ego eo deterior ex vituperio eius aut fierem eo melior ex laude eius? **2** Ego nempe immutabilis sum nec minui nec augeri possum, nec laude indigeo. Sed homo me laudans ex laude mea proficit, non michi sed sibi ipsi. **3** Nec umquam de ore meo, qui sum veritas, falsitas processit vel procedere potest, quia omnia, quecumque locutus sum per prophetas siue per alios amicos meos, aut spiritualiter aut corporaliter, sicut tunc intellexi, perficientur. **4** Nec ideo erant falsa, quia unum dixi semel, aliud secundo, unum expressius, aliud obscurius, quia ad probandam fidei mee constanciam et amicorum meorum sollicitudinem multa ostendi, que secundum diuersos effectus spiritus mei diuersimode a bonis et malis intelligi, bene et male, possunt, ut haberent in diuersis statibus, unde diuersi diuersa exercere possent in bono. **5** Nam sicut in deitatem meam assumpsi humanitatem meam in una persona, sic et quandoque loquebar ex parte humanitatis, in quantum subiecta erat deitati, quandoque ex parte deitatis, in quantum creatrix erat humanitatis, ut patet ex euangelio meo. **6** Et sic, quamuis diuersa videantur a calumpniantibus et nescientibus, tamen vera erant verba secundum veritatem. **7** Nec eciam sine causa erat, quod obscure tradidi aliqua, quia sic erat iusticia, ut occultaretur consilium meum aliquantulum a malis et ut unusquisque bonorum feruenter expectaret graciam meam et pro expectatione optineret premium, ne, si certo tempore consilium meum insinuatum fuisset, omnes ab expectatione et caritate propter longiturnitatem temporis desisterent.

8 Plurima eciam promisi, que tamen a presentibus propter ingratitudinem subtracta sunt. **9** Si enim ipsi a malicia sua destitissent, ego utique, quod promiseram, prestitissem. Ideo non debes turbari, quod verba mea arguantur mendacii. **10** Quod enim impossibile videtur apud homines, hoc possibile est apud me.

11 Mirantur eciam amici mei, cur non post verba sequuntur opera. Hoc enim non est sine causa. **12** Numquid non Moyses missus erat ad Pharaonem? Non tamen statim sequebantur signa. Quare? Quia si enim signa statim venissent et opera, non manifeste fuisset duricia Pharaonis nec potencia Dei nec mirabilia ostensa. **13** Nichilominus tamen Pharao propter maliciam suam dampnaretur, eciam si non venisset Moyses, quamuis duricia eius non fuisset ita manifesta. **14** Sic eciam nunc fiet. Propterea state viriliter! Aratum quippe, quamuis a bobus trahitur, tamen secundum voluntatem regentis regitur. **15** Sic eciam, quamuis verba mea audiatis et sciatis, tamen non vadunt vel perficientur secundum voluntatem vestram, sed secundum meam. **16** Ego enim scio, quomodo terra disposita est et quomodo excolenda. Vos autem omnem voluntatem vestram michi committite et dicite: 'Fiat voluntas tua!'"

Verba monitionis Iohannis Baptiste ad sponsam in figura, in qua Deus per auem picam, anima per pullos, corpus per nidum, mundi delectaciones per animalia ferocia, superbia per aues rapaces, mundi leticia per laqueum designantur. Capitulum XXIX.

1 Iohannes Baptista loquebatur ad sponsam Christi dicens: "Dominus Iesus vocavit te de tenebris in lucem, de immundicia in perfectam mundiciam, de angustia in latitudinem. **2** Quantum ergo sibi pro hiis regraciari teneris, quis explicare valet aut quando sufficeres? Verumptamen facito, quantum vales!

3 Est auis quedam, que dicitur pica. Hec enim diligit pullos, quia oua, unde processerunt pulli, fuerunt in ventre eius. **4** Hec auis facit sibi nidum de rebus inueteratis et attritis propter tria: primo propter requiem, secundo propter latibulum a pluuiia et nimia siccitate, tertio, ut nutriat pullos suos, qui fiunt ex ouis; que auis ex caritate componendo se super ea fouet pullos. **5** Cum vero pulli nati sunt, et mater allicit eos ad volandum per tria: primo per cibi administracionem, secundo per sedulam vocem, tertio per volatus sui exemplificacionem. **6** Pulli vero, quia diligunt matrem, assueti cibo matris ferunt se primo paulatim precedente matre supra nidum; inde iuxta vires progrediuntur ulterius, donec ex usu et arte sunt perfecti.

7 Hec auis Deus est, qui eternaliter est et numquam immutatur, et ex eius deitatis utero omnes anime racionales egrediuntur. **8** Cuilibet vero anime paratur nidus de rebus attritis, quia corpus de terra consociatur anime, in quo Deus animam nutrit cibo bonarum affectionum, defendit ab auibus malarum cogitationum et dat requiem a pluuiia malarum accionum. **9** Quilibet vero anima quia tali de causa coniungitur corpori, ut ipsa corpus regat et nequaquam ab eo regatur et ut corpus ad laborem excitet et ei rationabiliter prouideat, ideo Deus tamquam mater bona docet animam proficere in meliora, docet exire de arto in laciora. **10** Primo per cibum dando intelligenciam et rationem iuxta capacitatem uniuscuiusque, indicando menti, quid eligendum sit quidue fugiendum. **11** Sed sicut mater primo educit pullos supra nidum, sic homo primo addiscit cogitare celestia, cogitare eciam, quam artus et vilis sit nidus corporis, quam lucida celestia et quam delectabilia sunt eterna. **12** Educit eciam Deus animam per vocem suam, qua clamat: 'Qui sequitur me, habebit vitam; qui diligit me, non morietur.' **13** Hec vox dicit ad celum. Hanc qui non audierit, aut surdus est aut ingratus dilectioni matris. **14** Tercio educit Deus animam per volatum, idest per humanitatis sue exemplum. Hec humanitas gloriosa habuit quasi duas alas: prima, quia in ea erat omnis mundicia et nichil coinquinatum; secunda, quia omnia bona fecit. **15** Hiis duabus alis volabat humanitas Dei in mundo. Has ergo sequatur anima, quantum potest, et si non poterit opere, saltem conetur voluntate.

16 Cum autem euolat pullus, cauenda sunt sibi tria. **17** Primo ab animalibus ferocibus, ne resideat iuxta ea super terram, quia ipse pullus non est fortis sicut illa. **18** Secundo caueat ab auibus cupidis, quia ipse pullus adhuc non est celer euolare, sicut aues ille sunt, et ideo in latibulo tunc est morari. **19** Tercio caueat, ne concupiscat predam, in qua est laqueus.

20 Animalia ista ferocia, que dixi, sunt delectaciones et cupiditates mundi. Ab hiis enim caueat sibi pullus, quia dulces videntur sentiri, bone ad possidendum, pulchre ad videndum. **21** Sed cum putantur teneri, euadunt celeriter; cum vero creduntur delectare, mordent immisericorditer. **22** Secundo caueat ab auibus cupidis. Hee sunt superbia et ambicio. Iste enim sunt, que semper alcius et alcius desiderant ascendere et alias aues precedere et odire inferiores. **23** Ab hiis autem caueat pullus et desideret in latibulo humilitatis morari, ut non superbiat de data gracia, non contempnat inferiores et minoris gracie, non cogitet se aliquibus meliorem. **24** Tercio caueat a preda, in qua est laqueus. Hec enim est leticia mundi. **25** Nam bonum videtur habere risum in ore et delectacionem in corpore, sed latet in hiis aculeus. **26** Adducit enim immoderatus risus immoderatam leticiam, voluptas corporis adducit inconstanciam mentis, ex quibus consequitur tristitia vel in morte vel ante seu in tribulacione. **27** Festina igitur, filia, et tu egredi frequenter de nido tuo per desiderium celestium! Cae tibi a bestiis cupiditatum et ab auibus superbie! Cae a preda leticie vane!"

28 Deinde loquebatur mater ad sponsam et ait: "Cae de aue, que tincta est pice, quia omnes, qui tangunt eam, maculantur. **29** Hec enim est amicicia mundi, instabilis ut aer, feda in acquisitione fauoris et societate mala. **30** Non cures de honoribus, non attendas ad fauores, non respicias ad laudem vel vituperium! **31** Nam ex hiis prouenit inconstancia animi et diminucio diuine caritatis. Sta igitur stabilis! Deus enim, qui te incepit extrahere de nido, pascet te usque ad mortem. **32** Post mortem vero non habebis famem. Custodiet eciam te a dolore, defendet te in vita, et post mortem nichil timebis."

Deprecacio matris ad Filium pro sponsa et pro alio sancto et de acceptacione deprecationis matris a Christo et de certitudine vere vel false sanctitatis hominis in hac vita. Capitulum XXX.

1 Maria loquebatur Filio dicens: "Da, fili mi, noue sponse tue, ut corpus tuum dignissimum radicetur in corde eius, ut ipsa mutetur in te tuaque delectacione repleatur!" **2** Deinde ait: "Hic sanctus, cum temporaliter vixit, fuit in fide sancta sicut mons stabilis, quem non fregit aduersitas, nulla retraxit delectacio. **3** Fuit et flexibilis ad voluntatem tuam sicut aer mobilis, quocumque eum impetus spiritus tui traxit. **4** Fuit insuper in caritate tua ardens quasi ignis, calefaciens frigidos et consumens iniquos. **5** Nunc autem anima eius tecum est in gloria; vas autem instrumenti eius depresso est et in humiliiori loco iacet quam decet. **6** Ideo, fili mi, da corpori eius alciore eleuacionem, honora illud, quod te pro modulo suo honorauit, eleua illud, quod te labore suo, quo potuit, eleuauit."

7 Respondit Filius: "Benedicta sis tu, que nichil relinquis intactum, quod ad amicos tuos pertinet. **8** Non decet, mater, ut vides, quod lupis detur cibus optimus; non conuenit, ut saphirus membra conseruans sana et corroborans infirma ponatur in luto; non eciam decet, ut cecis accendatur lumen. **9** Iste quippe homo, sicut in fide fuit stabilis et in caritate feruentissimus, sic et in continencia optime fuit ad voluntatem meam dispositus. **10** Propterea sapuit michi sicut cibus optimus optime decoctus in omni pacientia et tribulacione, dulcis denique et bonus in bona voluntate et affectu, melior in conatu et virili progressu, optimus et dulcissimus in laudabili consumacione. **11** Propterea non decet, ut ante lupos talis exaltetur cibus, quorum cupiditas nescit sacietatem, quorum delectacio refugit herbas virtutum et sitit carnes putridas, quorum vox et astucia omnibus est nocua. **12** Fuit eciam quasi saphirus in anulo per fame et vite claritatem, per quam ostendit se esse Ecclesie sue sponsum, Domini sui amicum, fidei sancte conseruatorem et mundi contemptorem. **13** Propterea, mater carissima, non decet, ut tante bonitatis amator tamque mundus sponsus tangatur a tam immundis tanteque humilitatis amicus ab amatoribus mundi contingatur. **14** Fuit eciam tertio tamquam lumen positum super candelabrum per omnem mandatorum meorum execucionem, per bone vite doctrinam. **15** Per hanc muniuit stantes, ne caderent. Per hanc eleuauit cadentes. Per hanc eciam futuros post se ad me excitauit. **16** Hoc lumen indigni sunt videre obcecati amore suo. Hoc lumen discernere nesciunt, qui habent albuginem superbie. Hoc lumen attractare non valent scabiosi manibus. **17** Quia hoc lumen cupidis et suam voluntatem amantibus est nimis odiosum. **18** Ideo, priusquam eleuetur, iustum est, ut illi, qui immundi sunt, purgentur et, qui ceci sunt, illuminentur.

19 Illum vero hominem, quem homines terre dicunt sanctum, tria ostendunt eum non esse sanctum. **20** Primo, quia ante mortem non imitabatur vitam sanctorum; secundo, quia hylarem voluntatem non habuit paciendi martirium pro Deo; tercio, quia non habuit caritatem ardentem et discretam sicut sancti. **21** Tria quoque sunt, propter que quis videtur a populo sanctus. **22** Primum est mendacium fallencium et placere volencium; secundum facilitas credulitatis inspiencium; tercium est cupiditas et tepiditas prelatorum et

examinatorum. **23** Utrum autem ipse est in inferno vel in purgatorio, nondum est tibi licitum scire sed cum tempus fuerit loquendi.”